



P. d. 555

Sammelband!



z


von

Theol. K. VIII. 972

Wilhelm Zöcher
p. 5.

12 gr

Constat ꝑ totum 7 ff. 3. 9
anno .15. 21.



PROPO=

SITIONES A MARTINO
LVTHERO SVBINDE
DISPVTATAE.

ADDITAE SVNT QVAE=
DAM, QVAE IN PRI=
ORE EDITIONE
DESIDERAN=

TVR.

VITEBERGAE IN AEDIBVS
IOSEPHI CLVG.

ANNO M. D. XXXI.



L 57,



PHILIPPVS MELANCHTHON
LECTORI.

S. D.



CONGESSI IN ACER VVM
aliquot propositiones Lutheri cum
ob alias causas, tum quia graues
quosdam locos doctrinae Chri-
stianae continent, qui ex his bre-
uibus sententijs melius cognosci possunt, quam ex
magnis aliorum uoluminibus, Hæ sententiæ
primum restituerunt in lucem, puram Euangelij
doctrinam de poenitentia, de usu Sacramentorum,
de Iustificatione, quod fides in Christum Iusti-
fiat coram Deo, non opera a nobis facta, Hæ
res antea iacebant obrutæ nugacissimis disputa-
tionibus Theologorum & Canonistarum, id quod
tunc fatebantur illi ipsi, cum hæc primum nasce-
rentur, apud quos nunc capitale est Lutherum no-
minare. Si quis expenderit, quantam utilitatem
adferat pijs mentibus horum locorum cognitio, qui
in his disputationibus patefacti, atq; illustrati sunt,
intelliget se plurimum Deo pro his Spiritualibus do-
nis debere, quæ magnopere ad Christi beneficia co-
gnosçenda, & ad scripturas intelligendas conducunt
Cum autem hæc scripta nonnulli summa ui contentur

A ij oppri-

opprimere, decet viros bonos ea pro uirili defende
re, & ab interitu uindicare. Quod si non licebit ea
proferre in theatra in tam iniquis iudicijs, legent
tamen Christiani, & tanquam intus canent uel
ad docendas, uel etiam ad confirmandas
conscientias hac doctrina, quæ Chri-
sti gratiam non obscure præ
diat, Vale.

AMORE

AMORE ET STUDIO ELUCIDAN-
da ueritatis hæc subscripta disputabuntur Viteber-
ge Præsidente. R. P. Martino Luther Eremitano
Augustiniano Arcium & S. Theologiæ Magistro,
eiusdem ibidem lectore. Quare petit ut qui non
possunt uerbis præsentes nobiscum disceptare, agant
id literis absentes. In Nomine Domini nostri Iesu
Christi, AMEN.

Dominus & Magister noster Ihesus Christus
dicendo poenitentiam agere &c. omnem ui-
tam fidelium Poenitentiam esse uoluit.

Quod uerbum de poenitentia Sacramentali, id est
confessionis et satisfactionis quæ sacerdotum ministe-
rio celebratur, non potest intelligi.

Non tamen solam intendit interiorem, immo in-
terior nulla est, nisi foris operetur uarias carnis mor-
tificationes.

Manet itaq; poena donec manet odium sui, id est
poenitentia uera intus, scilicet usq; ad introitum
regni celorum.

Papa non uult nec potest, ullas poenas remittere
præter eas, quas arbitrio uel suo uel canonum im-
posuit.

A ij Papa

Papa non potest remittere ullam culpam nisi declarando & approbando remissam a Deo, Aut certe remittendo casus reseruos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subijciat humiliatum in omnibus, sacerdoti suo uicario.

Canones pœnitentiales solū uiuentibus sunt impositi, nihilq; morituris secundū eosdem debet imponi.

Inde bene nobis facit spiritus Sanctus in Papa excipiendo in suis decretis semper articulum mortis & necessitatis.

Indocte & male faciunt sacerdotes ij qui morituris pœnitentias canonicas in purgatorium reseruant.

Zizania illa de mutanda pœna Canonica in pœnam purgatorij, uidentur ærte dormientibus Episcopis seminata.

Olim pœnæ canonicæ non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta ueræ contritionis.

Morituri per mortem omnia soluunt, & legibus canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.

Imperfecta sanitas seu charitas morituri, neces-

fariorum secum fert, magnum timorem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

Hic timor & horror, satis est se solo, ut alia taceam, facere poenam purgatorij cum sit proximus desperationis horrore.

Videntur, infernus, purgatorium, coelum differre sicut desperatio prope, desperatio, securitas differunt.

Necessarium videtur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri charitatem,

Nec probatum videtur ullis, aut rationibus aut scripturis, quod sint extra statum meriti, seu augenda charitatis.

Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certa & securae saltem omnes, licet nos certissimi simus.

Igitur Papa per remissionem plenariam omnium poenarum, non simpliciter omnium intelligit, sed a se ipso tantummodo impositarum.

Errant itaque indulgentiarum predicatorum, ij qui dicunt per Papae indulgentias hominem ab omni poena solui & saluari.

Quin nullam remittit animabus in purgatorio quam in hac uita debuissent, secundum Canones soluere.

Si remissio ulla omnium omnino poenarum,

A iiij potest

potest alicui dari, certum est eam non nisi perfectis
simis id est, paucissimis dari.

Falli ob id necesse est, maiorem partem populi,
per indifferentem illam & magnificam pœnæ solu-
tæ promissionem.

Qualem potestatem habet Papa in purgatorium
generaliter, talem habet quilibet Episcopus & cu-
ratus in sua Diocesi & parochia specialiter.

Optime facit Papa, quod non potestate clavis,
quam nullam habet, sed per modum suffragij dat ani-
mabus remissionem.

Hominem prædicant, qui statim, ut iactus num-
mus in cistam tinnuerit, euolare dicunt animam.

Certum est nummo in cista tinniente augeri
quæstum & auaritiam posse, suffragium autem ec-
clesiæ est in arbitrio Dei solius.

Quis scit si omnes animæ in purgatorio uelint
redimi, sicut de S. Seuerino & paschali factum
narratur.

Nullus securus est de ueritate suæ contritionis,
multo minus de consecutione plenariæ remissionis.

Quam rarus est uere pœnitens, tam rarus est ue-
re indulgentias redimens id est rarissimus.

Damnd=

Damnabuntur in æternum cum suis magistris,
qui per literas ueniarum secures sese credunt de sua
salute.

Cauendi sunt nimis qui dicunt uenias illas Pa-
pæ, donum esse illud Dei inestimabile quo recon-
ciliatur homo deo.

Gratiæ enim illæ ueniales tantum respiciunt pœ-
nas satisfactionis Sacramentalis ab homine con-
stitutas.

Non christiana prædicant qui docent, quod re-
dempturis animas uel confessionalia non sit neces-
saria contritio.

Quilibet Christianus uere compunctus ha-
bet remissionem plenariam a poena & culpa, eti-
am sine literis ueniarum sibi debitam.

Quilibet uerus Christianus siue uiuus siue
mortuus, habebit participationem omnium bono-
rum Christi & ecclesiæ, etiam sine literis ueniarum
a Deo sibi datam.

Remissio tamen & participatio Papæ, nullo
modo est contemnenda, quia, ut dixi, est declaratio
remissionis diuinæ.

Difficillimum est etiam doctissimis Theologis,
simul extollere ueniarum largitatem & contritio-
nis ueritatem coram populo.

A v Contri

Contritionis ueritas pœnas querit et amat. Ueniarum autem largitas relaxat & odisse facit, saltem occasione.

Caute sunt ueniæ Apostolicæ prædicandæ, ne populus falso intelligat eas præferri ceteris bonis operibus charitatis.

Docendi sunt Christiani, quod Papæ mens non est, redemptionem ueniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiæ.

Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi, aut mutuans egenti melius facit, quam si uenias redimeret.

Quia per opus charitatis crescit charitas & fit homo melior, sed per uenias non fit melior, sed tantummodo a pœna liberior.

Docendi sunt Christiani, quod qui uidet egenum & neglecto eo, dat pro uenijs non indulgentias Papæ, sed indignationem Dei sibi uendicat.

Docendi sunt Christiani, nisi superfluis abundant, necessaria tenentur domui suæ retinere & nequaquam propter uenias effundere.

Docendi sunt Christiani, quod redemptio ueniarum est libera, non præcepta.

Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut magis eget, ita magis optat, in uenijs dandis pro se deuotam oratio-

orationem, quam promptam pecuniam,

Docendi sunt Christiani, quod ueniæ Papæ sunt utiles, si non in eas confidant, sed nocentissimæ, si timorem Dei per eas amittant.

Docendi sunt Christiani quod si Papa nosset exactiones uenialium prædicatorum mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, quam edificari, cute carne & ossibus ouium suarum.

Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut debet ita uellet, etiam uendita, si opus sit, Basilicæ S. Petri, de suis pecunijs dare illis, a quorum plurimis quidam concionatores ueniarum pecuniam eliciunt.

Vana est fiducia salutis per literas ueniarum etiam si Commissarius, immo Papa ipse suam animam pro illis impignoraret.

Hostes Christi & Papæ, sunt ij, qui propter uenias prædicandas uerbum Dei in alijs ecclesijs pœnitus silere iubent.

Iniuria fit uerbo Dei dum in eodem sermone æquale uel longius tempus impenditur uenijs quam illi.

Mens Papæ necessario est quod si ueniæ quod minimum est, una campana, unis pompis & ceremonijs celebrantur.

Euange=

Euangelium, quod maximum est, centum campanis, centum pompis, centum ceremonijs prædicatur.

Thesauri ecclesie, unde Papa dat indulgentias neq; satis nominati sunt, neq; cogniti apud populum Christi.

Temporales certe non esse patet quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatorum.

Nec sunt merita Christi & sanctorum, quia hæc semper sine Papa, operantur gratiam hominis interioris & crucem mortem infernumq; exterioris.

Thesaurus ecclesie S. Laurentius dixit esse pauperes ecclesie, sed locutus est usu uocabuli suo tempore.

Sine temeritate dicimus clauis ecclesie, merito Christi donatas, esse thesaurum istum.

Clarum est enim quod ad remissionem poenarum & casuum sola sufficit potestas Papæ,

Verus thesaurus ecclesie est sacrosanctum Euangelium gloriæ & gratiæ Dei.

Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit nouissimos,

Thesaurus autem indulgentiarum merito est gratissimus,

tiſſimus, quia ex nouiſſimis facit primos.

Igitur theſauri Euangelici rhetia ſunt, quibus olim piſcabantur uiros diuitiarum.

Theſauri indulgentiarum rhetia ſunt, quibus nunc piſcantur diuitias uirorum,

Indulgentiæ, quas Concionatores uociferantur maximas gratias, intelliguntur uere tales, quo ad quæſtum promouendum.

Sunt tamen reuera minimæ ad gratiam Dei & Crucis pietatem comparatæ.

Tenentur Epifcopi & Curati ueniarum Apoſtolicarum Commiſſarios cum omni reuerentia admittere.

Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus aduertere, ne pro commiſſione Papæ ſua illi ſomnia prædicent.

Contra ueniarum Apoſtolicarum ueritatem, qui loquitur ſit ille anathema & maledictus.

Qui uero contra libidinem ac licentiam uerborum Concinatoris, ueniarum, curam agit, ſit ille benedictus.

Sicut Papa iuſte fulminat eos, qui in fraudem negocij ueniarum quacumq; arte machinantur.

Multo magis fulminare intendit eos, qui per ueniarum prætextum in fraudem ſanctæ charitatis & ueritatis machinantur.

Opinari

Opinari uenias papales tantas esse ut soluere possint hominem, etiam si quis per impossibile Dei genitricem uiolasset, est insanire.

Dicimus contra quod uenie Papales nec minimum uenialium peccatorum tollere possint, quo ad culpam.

Quod dicitur, nec si .S. Petrus modo Papa esset, maiores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam.

Dicimus contra, quod etiam iste & quilibet Papa maiores habet, scilicet Euangelium, uirtutes, gratias curationum &c. ut .i. Corin. XII.

Dicere Crucem armis Papalibus insigniter creatam, Cruci Christi equiuale, Blasphemia est.

Rationem reddent Episcopi, Curati, & Theologi, Qui tales sermones in populum licere sinunt.

Facit hæc licentiosa ueniarum prædiatio, ut nec reuerentiam Papæ facile sit etiam doctis uiris redimere a calumnijs, aut certe argutis questionibus laicorum.

Scilicet cur Papa non euacuat purgatorium propter sanctissimam charitatem, & summam animarum necessitatem ut causam omnium iustissimam Si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicæ ut causam leuissimam.

Item

Item cur permanent exequiæ & anniuersaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum iam sit iniuria pro redemptis orare.

Item Quæ illa noua pietas Dei & Papæ, quod impio & inimico propter pecuniam concedunt, animam piam & amicam Dei redimere, Et tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ & dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate.

Item Cur Canones Pœnitentiales, re ipsa & non usu, iam diu in semet abrogati & mortui adhuc tamen pecunijs redimuntur per concessionem indulgentiarum tanquam uiuacissimi.

Item Cur Papa cuius opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores. non de suis pecunijs magis quam pauperum fidelium struit unam tantummodo Basilicam S. Petri.

Item, Quid remittit, aut participat Papa ijs, qui per contritionem perfectam, ius habent plenarie remissionis & participationis.

Item. Quid adderetur ecclesiæ boni maioris Si Papa sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones & participationes tribueret.

Ex quo Papa salutem querit animarum
uenias

per uenias magis quam pecunias, Cur suspendit li-
teras & uenias iam olim concessas, cum sint æque
efficaces?

Hæc scrupulosissima laicorum argumenta, sola
potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est
ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere &
infelices christianos facere.

Si ergo uenie secundum spiritum & mentem
Papæ prædicarentur, facile illa omnia soluerentur,
immo non essent.

Valeant itaq; omnes illi Prophetæ, qui dicunt
populo Christi, pax pax & non est pax.

Bene agant omnes illi Prophetæ qui dicunt po-
pulo Christi, Crux crux & non est crux.

Exhortandi sunt Christiani ut Caput suum Chri-
stum per pœnas, mortes infernosq; sequi studeant.

Ac sic magis per multas tribulationes intrare
coelum quam per securitatem pacis confidant.

15 17

PRO Veritate inquirenda & timoratis conscien-
tijs consolandis. Hæc sub R. P. Martino Luthero
Augustiniano disputabuntur per uices Cir-
culares pro nostro more.

15 18.

Inter duas ecclesiasticas illas remissiones poenae
& culpae, praecellit remissio culpae.

Remissio culpae quietat cor, & maximam omnium
poenarum, scilicet conscientiam peccati, tollit.

Remissio poenae, quandoq; auget conscientiam
malam, quandoq; peiorem nutrit praesumptionem,

Remissio culpae reconciliat hominem Deo, re-
missio poenae recõciliat hominẽ homini id est, ecclesiae

Remissa culpa & conscientia, nulla poena est in
pena, sed gaudium in tribulationibus.

Sine remissione poenae potest homo saluus fieri.
Sed nequaquam sine remissione culpae.

Magis prodest ad salutem, si absolutus a culpa,
omittat redemptionem poenarum.

Remissio culpae non innititur contritioni peccati-
toris, nec officio aut potestati sacerdotis.

Innititur potius fidei, id est, quae est in uerbum
Christi dicentis, Quodcumq; solueris &c.

Verum est enim, quod non Sacramentum fidei
sed fides Sacramenti, id est non quia fit, sed quia cre-
ditur iustificat.

Non uoluit Christus in manu uel arbitrio hominis
consistere salutem hominum.

Sed sicut scriptum est, portans omnia uerbo uir-
tutis suae, & fide purificans corda eorum.

Vsq; ad infidelitatem errant, qui remissionem

B culpae

culpæ incertam asserunt, propter incertitudinem
contritionis.

Quantumlibet incertus sit, tam sacerdos quam pec-
cator de contritione, rata est absolutio si credit sese
absolutum.

Certum est ergo remissa esse peccata, si credis re-
missa, quia certa est Christi saluatoris promissio.

Absolutus per clauem, potius debet mori & om-
nem creaturam negare, quam de sua absolutione
dubitare.

Dubitans absolutionem suam Deo gratam esse dis-
bitat simul Christum fuisse ueracem dicendo, Quod-
cumq; &c.

Super contritionem edificantes remissionem,
super arenam, id est, super opus hominis fidem Dei
edificant.

Iniuria est Sacramenti & desperationis machi-
na, non credere absolutionem, donec certa sit con-
tritio.

Immo sic uelle fiduciam conscientie, edificare
super contritionem, est Deum mendacem, se uera-
cem constituere.

Tales non de misericordia & uerbo Christi, sed
de suis operibus & uiribus perditissime presu-
munt.

Immo

Immo peruersissime uolunt uerbum & fidem
firmare ipsi, & non potius firmari uerbo & fi-
de.

Sacerdotes non sunt authores remissionis,
sed ministratores uerbi ad fidem remissionis.

Potestas clauium, operatur uerbo & man-
dato Dei, firmum & infallibile opus, nisi sis do-
losus.

Euidentiâ contritionis signa, satis habet sacer-
dos si peccatorem sentit petere & credere abso-
lutionem.

Immo longe magis exquirendum est ab eo, an
credat sese absolui, quam an digne doleat.

Cauendum quoq; sacerdoti, ne adeo explo-
ret solam contritionem, ut homo credat propter ip-
sam sese absoluendum.

Illud Christi potius est inculandum ei, confi-
de fili, remittuntur tibi peccata tua, quam dignitas
eius exquirenda.

Consequens est, quod uerbum illud Christi, quo-
rum remisistis peccata &c. non de penis, sed cul-
pæ intelligitur.

B ij

Sicut

Sicut sacerdos doct, baptizat, communicat
uere, & tamen hæc solius sunt spiritus intus operantis.

Ita uere peccata remittit & absoluit a culpa,
& tamen hoc solius est spiritus intus operantis.

In ijs omnibus dum ministrat uerbum Christi,
simul fidem exercet, qua intus iustificatur peccator.

Nihil enim iustificat, nisi sola fides Christi,
ad quam necessaria est uerbi per sacerdotem ministratio.

Sine qua fide, contritio peccatorum est desperationis operatio, & plus Deum offendens quam reconcilians.

Potest sacerdos abuti clauē, & peccare, absoluen-
do quem non debuit, utpote restrictus.

Sed non ideo absolutio est nulla, nisi fides simul
absoluti esset nulla.

Sicut in baptismo & synaxi, etiam restricta
clauis & prohibita, uere baptizat & communicat.

Ita in pœnitentia, quantumlibet prohibita, uere
absoluit, modo absit dolus absoluti.

Sacerdos etiam leuis ac ludens seu scienter
contra restrictionem agens, uere tamen baptizat &
absoluit.

Finge

Finge casum, per impossibile, sit absoluen-
dus non contritus, credens tamen sese absolui, hic
est uere absolutus.

Nec potest hic obstare ulla reseruatio casu-
um aut restrictio, si tamen fuerit & manserit igno-
rata.

Sacramenta nouæ, legis non sic sunt effica-
cia gratiæ signa, quod satis sit in percipiendis non
ponere obicem.

Quin, qui sine fidæ ad quodcumq; accedit,
fictæ, ac per hoc, in iudicium suum accedit

Sacramenta Veteris legis & nouæ sic diffe-
runt quod illa erant carnis, ista uero sunt spiritus
iustificationes.

In nouis adest, in ueteribus defuit uerbum
promittens, ideoq; & fides recipientis remissio-
nem.

Sicut uenialia peccata non pertinent ad confes-
sionem & absolutionem clauium, ita nec omnia mor-
talia.

Si homo teneretur omnia mortalia confiteri,
& ab eis absolui, teneretur ad simpliciter impos-
sibile.

Nullus hominum nouit, quoties peccet morta-
liter, etiam in bonis operibus, propter uanam glo-
riam.

*Ea tantum debet confiteri, quæ uel sibi uel alijs
certa sunt esse mortalia, id est crimina.*

*De reliquis desperando, seipsum cum fiducia, in
abyssum misericordiæ Dei fideliter promittentis,
proijcere.*

Summa summarum.

*Iustus non ex operibus neq; ex lege, sed ex fide uiuet
Ro. I.*

EX THEOLOGIA.

*Diffidentes nobis ipsis prorsus, iuxta illud spiri-
tus consilium ne inuitaris prudentiæ tuæ, humiliter of-
ferimus omnium, qui adesse uoluerint iudicio, hæc
Theologica paradoxa, ut uel sic appareat, bene an
male elicitæ sine, ex diuo Paulo, uase & organo
Christi electissimo, deinde & ex S. Augustino inter-
prete eiusdem fidelissimo.*

*Lex Dei saluberrima uitæ doctrina, non potest
hominem ad iusticiam promouere, sed magis obest,*

*Multo minus opera hominum, naturalis dictæ
minis auxilio, frequenter, ut dicitur, iterata possunt
promouere.*

*Opera hominum, ut semper sint speciosa, bonâ;
nâq;*

naq; uideantur probabile tamen est ea esse peccata
mortalia.

Opera Dei, ut semper sint deformia, malaq;
uideantur, uere tamen sunt merita immortalia.

Non sic sunt opera hominum mortalia, de bo
nis ut apparent loquimur, ut eadem sint crimina.

Non sic sunt opera Dei merita, de ijs quæ per
hominem fiunt loquimur, ut eadem non sint pec
cata.

Iustorum opera, essent mortalia, nisi pio Dei
timore, ab ipsismet iustis, ut mortalia timerentur.

Multo magis hominum opera sunt mortalia,
cum & sine timore fiant, in mera & mala securi
tate.

Dicere, quod opera, sine Christo, sint qui
dem mortua, sed non mortalia, uidetur periculosam ti
moris Dei remissio,

Imo difficillimum est intelligere, quo nam mo
do sit opus mortuum, nec tamen noxium mortaleue
peccatum.

Non potest uitari præsumptio, nec adesse ue
ra spes, nisi in omni opere timeatur iudicium damna
tionis.

Tunc uere sunt peccata apud Deum uenialia,
quando timentur ab hominibus esse mortalia.

Liberum arbitrium post peccatum, res est de solo
titulo, & dum facit quod in se est, peccat mor-
taliter.

Liberum arbitrium post peccatum, potest in bo-
num, potentia subiectiua, in malum uero actiua
semper.

Nec in statu innocentiae potuit stare actiua, sed
subiectiua potentia, nedum in bonum proficere,

Homo putans se ad gratiam uelle peruenire, fa-
ciendo quod est in se, peccatum addit peccato, ut du-
plo reus fiat.

Nec sic dicere, est desperandi causam dare sed
humiliandi, & querendae gratiae Christi studium ex-
citare.

Certum est, hominem de se penitus oportere de-
sperare, ut aptus fiat, ad consequendam gratiam
Christi.

Non ille digne Theologus dicitur, qui inuisi-
bilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta, con-
spicit.

Sed qui uisibilia & posteriora Dei, per passi-
ones & crucem conspecta intelligit.

Theologus gloriae dicit malum bonum, & bo-
num malum, Theologus crucis dicit id quod res est.

Sapientia

Sapientia illa, quæ inuisibilia Dei, ex operibus intellecta conspicit, omnino inflat, excæcat & indurat.

Et lex iram Dei operatur, occidit, maledicit, reum facit, iudicat, damnat, quicquid non est in Christo.

Non tamen sapientia illa, mala, nec lex fugienda, sed homo sine Theologia crucis optimis pessime abutitur.

Non ille iustus est, qui multum operatur, sed qui sine opere, multum credit in Christum.

Lex dicit, fac hoc, & nunquam fit, gratia dicit. Crede in hunc, & iam facta sunt omnia.

Recte opus Christi dicentur, operans & nostrum operatum, ac sic operatum placere Deo gratia operis operantis.

Amor Dei non inuenit, sed creat suum diligibile, Amor hominis fit a suo diligibili.

EX PHILOSOPHIA.

Qui sine periculo uolet in Aristotele Philosophari, necesse est ut ante, bene stultificetur in Christo.

Sicut libidinis malo non utitur bene, nisi coniugatus, ita nemo Philosophatur bene nisi stultus, id est, Christianus. B v facile

Facile fuit Aristoteli, mundum æternum opinari, quando anima humana mortalis est eius sententia.

Postquam receptum est, tot esse formas substantialiales, quot composita, necessario & tot esse materias, fuerat recipiendum.

Ex nulla re mundi aliquid fit necessario, Ex materia tamen necessario fit, quicquid fit naturaliter,

Si Aristoteles absolutam cognouisset potentiam Dei, adhuc impossibile asseruisset, materiam stare nudam.

Infinitum actu nullum est, potentia tamen & materia, tot sunt, quod in rebus composita, iuxta Aristotelem.

Aristoteles male reprehendit ac ridet Platoniarum Idearum meliorem suam Philosophiam.

Imitatio numerorum in rebus ingeniose asseritur a Pythagora, Sed ingeniosius participatio Idearum a Platone.

Disputatio Aristotelis aduersus unum illud Parmenidis uerberat, Christiano uenia sit, acra pugnans.

Si Anaxagoras, infinitum forma posuit, ut uideatur, optimus Philosophorum fuit, inuito etiam Aristotele.

Apud

Apud Aristotelem uidentur idem esse, priuatio,
materia, forma, mobile, immobile, actus, poten-
tia &c.

F. Martinus Luther S. T. Magister Præside-
bit, F. Leonardus Bayer artium &
Philosophiæ Magister
Respondebit.

M. D. XVIII.

DE CIRCUNCISIONE.

Circuncisionem ualuisse in remissionem peccati
originalis, Propter institutionem & Dei fidem
Abrahæ in Christum, libenter concedimus.

Circuncisio sine fide uel propria uel aliena, adeo
non profuit, ut nec Abrahæ, principi eius, sine fide
profuisset.

Rectius, per fidem circuncisio, sicut & omnia,
profuisse dicitur, Non autem fides per circuncisionem,
aut ullum aliud opus.

Consentaneum est, foeminas in lege, sine circuncisione,
per fidem Abrahæ circuncisi, fuisse iustificatas.

Et paruulos eiusdem pacti fide aliena, non autem
propria circuncisione fuisse iustificatos.

Non ergo circuncisio aliquid ualuit, sed commu-
nicatio fidei Abrahæ in Christum sibi promissum ius-
tificauit.

Circum

Circuncisio , fuit signum seu monitorium, quod accipiens , ad fidem Abrahamæ in Christum futurum, spiritu sancto exercebatur.

Idem signum erat , ante legem patribus, siue in oblationibus siue orationibus.

Non ergo uirtute sacrificiorum, ut Magister ait, quam intelligebant spiritualiter, sunt iustificati, nisi intelligentiam istam , dicas fuisse fidem Christi futuri.

D. Marti. Luth.

M. D. XX.

QVAESTIO CIRCULARIS.

Sexta feria, D. M. Luth.

Sacramenta gratiae, Christi passione & morte uirtutem esse sortita, concedimus.

Sed non esse talia, nisi in nouo Testamento, nec statim post lapsum Adæ fuisse, negamus.

Idem Christus eademq; fides ab Abel in finem mundi per uaria secula regnauit in electis.

Sed alia & alia eiusdem Christi & fidei signa fuerunt quæ uere Sacramenta gratiae dicuntur.

Non ergo mutatae circuncisionis aut oblationis in baptismum, caussa fuit, gratiae donatio.

Sed uoluntas sola Dei, quæ pro diuersitate temporum

porum & hominum diuersis signis gratiam suam
contulit.

Nec; enim Sacramenta unquam aut remissio-
nem peccatorum dederunt, sed sola fides Sacra-
menti.

Sacramenta ueteris legis, per quæ gratiam De-
us non dedit sola ceremonialia Aaronici sacerdotij
fuerunt.

Hæc enim iusticiæ carnis fuerunt, quibus fuit im-
possibile auferri peccata, sicut nec per nostras cæ-
rimonias.

15. 20.

AD SVBSCRIPTAS PROPOSTIO-
nes, præsidente R. P. Martino Luthero Augusti. re-
spondebit uenerabilis pater Henricus Greiff,
Cisterciens. Zinnen, artium & Philoso-
phiæ Magister pro Biblia.

M. D. X X.

Accesjuro ad Sacramentum, omnino necessaria
est fides infusa.

Fides acquisita sine infusa, nihil est, infusa sine ac-
quisita, est omnia.

Dicere fidem infusam non operari sine acquisita,
blasphemiam est.

Fides

Fides acquisita sine infusa, non operatur nisi
malum.

Fidem acquisitam intelligere in uerbo Pauli,
fides ex auditu, error est.

Auditu horrendum est, quod D. S. non necessa-
rium esse bonum imotum cordis astruunt

Si uelle occidere & similia, est obicem pone-
re, multo magis, non credere.

Homo extra fidem positus, necessario & sem-
per habet obicem gratie.

Qui, uel tollendi, uel non ponendi obicis ho-
mini dant potestatem, obicem suum non intelligunt.

Fides acquisita, non modo non custodit, sed eti-
am euomit uerbum Dei semper.

Fides acquisita est penna Struthionis, sed in-
fusa est spiritus uitae.

Etiam sola fides infusa satis est ad iustifica-
tionem impij.

Imo, nisi sola sit sine ullis operibus, nihil est,
neque iustificat.

Opera sequuntur iustificationem fidei infalli-
biliter, cum non sit otiosa.

Recte ergo dictum, fides sine operibus est
mortua, immo, non est fides.

Fides infusa, tam actu & obiecto, quam ha-
bitu & sine, differt a fide acquisita.

Nullum

Nullum sacramentorum septem, in sacris literis nomine sacramenti censetur.

Vnum solum habent sacrae literae sacramentum, quod est ipse Christus Dominus.

Sacramenta noui Testamenti promittunt omnibus, dant uero solum credentibus gratiam.

Recte dictum est, sacramenta ueteris Testamenti non iustificasse, etiamsi in fide & charitate fierent.

DISPUTATIO DOCT. MAR.

Lutheri, Deo fauente, Feria sexta,
futu.

Lex, baptisma carnis Iohannes baptisma poenitentiae, Christus baptisma gratiae habet.

Solius Christi baptisma sacramentum est, propter uerbum, quod in illo & non in alijs operatur.

Baptisma legis, membra, uestes, uasa lauabat, figurante spiritu, exteriorem operum sanctitatem & legis uelamen.

Baptisma Iohannis reuelata facie legis, omnes peccato immergit & gratiae auidos facit.

Baptisma Christi peccato mersos & auidos gratiae, educit iustificatos & nouas creaturas facit.

Vt baptisma legis poenitentiam non prestabat.

bat, sed magis præsumptionem, donec in baptisma Iohannis desinebat.

Ita Iohannis baptisma gratiam non præstabat sed magis desperationem, donec ad Baptisma Christi pertingebat.

Nihil repugnat Christi baptismati pertinacius quam baptisma legis, & nihil pronius cedit quam baptisma Iohannis.

Non tantum propter usum baptisandi in Christo futurum Iohannes baptisabat.

Sed ut tam officio proprio, quam ministerio occidentis litere humiliatos ad Christum prepararet.

Videtur Christus baptisma Iohannis non euacuasse, sed addito uerbo uitæ seu promissionis perfecisse.

Ob quam causam baptisati a Iohanne, denuo baptisandi fuerunt baptisate Christi.

DISPUTATIO CIRCULARIS

ad futuram sextam feriam.

Missæ neminem sanctificat aut iustum facit nec a peccatis liberat.

Igitur missa non est sacrificium, sed signum ueri sacrificij.

Quod fidem exerçat & caritatem auget.

Mullum

Nullum prorsus amplius est sacrificium apud
Christianos.

Nisi unicum spiritus quo corpora nostra ex
hibemus Deo.

Hostiam sanctam, uiuentem & Deo placentem

Quod est cor contritum & humiliatum non
obediens concupiscentijs suis.

Hoc est sacrificium laudis & iusticie omni
hora Deo offerendum.

Missæ etiam sancti & iusti sacerdotis nulli al
teri prodest.

Orationes uero in missa omnibus fidelibus
profunt nolit uelit.

Impij autem & peccatoris missa cum oratio
nibus suis blasphemia est & peccatum.

N. A.

AD SVBSCRIPTAS CONCLUSIO

nes respondebit Magister Franciscus Guntherus

Nordhusensis pro Biblia, Præsidente

Reuerendo patre Marti. Luth.

Augusti. Sacræ Theologiæ

Vittenberg. Decano

loco & tempore

statuendis

C

dicit

Dicere quod Augustinus contra hereticos ex-
cessiue loquatur, Est dicere Augustinum fere ubiq;
mentitum esse. Contra dictum commune.

Idem est Pelagianis & omnibus hereticis tri-
buere occasionem triumphandi immo uictoriam.

Et idem est omnium ecclesiasticorum docto-
rum auctoritatem illusioni exponere.

Veritas itaq; est quod homo arbor mala fac-
tus non potest nisi malum uelle & facere.

Falsitas est quod appetitus liber potest in
utrumq; oppositorum immo nec liber sed captiuus
est. Contra communem.

Falsitas est quod uoluntas possit se conforma-
re dictamini recto naturaliter. Contra Sco. Gab.

Sed necessario elicit actum difforem & ma-
lum, sine gratia dei.

Nec ideo sequitur, quod sit naturaliter mala
id est natura mali secundum Manicheos.

Est tamen naturaliter & inuitabiliter mala
& uiciata natura,

Conceditur, quod uoluntas non est libera ad
tendendum in quodlibet, secundum rationem boni
sibi ostensum. Contra Sco. Gab.

Nec est in potestate eius uelle & nolle quod-
libet ostensum.

Nec sic dicere, est contra. B. Augustinum
dicen-

possit ordinari per uirtutem spei. Contra gab.

Quia spes non est contra charitatem quæ solum quæ dei sunt, querit, & cupit,

Spes non uenit ex meritis, sed ex passionibus merita destruentibus. Contra usum multorum.

Actus amicitie, non est perfectissimus modus faciendi quod est in se, Nec est dispositio perfectissima ad gratiam Dei aut modus conuertendi & appropinquandi ad Deum.

Sed est actus iam perfectæ conuersionis, tempore & natura posterior gratia.

Ille auctoritates, Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Item appropinquate Deo & appropinquabit uobis. Item Querite & inuenietis. Item. Si quæsieritis me inueniar a uobis, & ijs similes, si dicatur, quod unum nature, alterum gratiæ sit, nihil aliud quam quod pelagiani dixerunt, asseritur.

Optima & infallibilis ad gratiam præparatio & unica dispositio, est æterna Dei electio & prædestinatio.

Ex parte autem hominis, nihil nisi indispositio immo rebellio gratiæ, gratiam præcedit.

Vanissimo commento dicitur, prædestinatus potest damnari in sensu diuiso, Sed non in composito. Contra Scholast,

Nihil

Nihil quoq; efficitur, per illud dictum, præ-
destinatio est necessaria necessitate consequentiæ. Sed
non consequentis.

Falsum & illud est, quod facere quod est in
se, sit remouere obstacula gratiæ, Contra quosdã.

Breuiter, Nec rectum dictamen habet natu-
ra, nec bonam uoluntatem.

Non est uerum quod ignorantia inuincibilis
a toto excusat. Contra omnes scholast,

Quia ignorantia dei & sui & boni operis, est
natura semper inuincibilis.

Natura etiam in Opere specie tenus & foris
bono, intus necessario gloriatur & superbit.

Nulla est uirtus moralis sine uel superbia uel
tristitia id est peccato,

Non sumus domini actuum nostrorum a prin-
cipio usq; ad finem, sed serui. Contra Phi-
losophos.

Non efficitur iusti iusta operando sed iusti
facti operando iusta. Contra Philosophos.

Tota fere Aristoteils Ethica, pessima est gra-
tiæ inimica. Contra Scholast.

Error est, Aristotelis sententiam de fœlicita-
te non repugnare doctrinæ catholicæ. Contra
Morales,

Error est dicere, sine Aristotele non fit theologus.
Contra dictum commune.

Immo theologus non fit nisi id fiat sine Aristotele,

Theologus non logicus est monstruosus hereticus. Est monstruosa & heretica oratio. Contra dictum commune.

Frustra fingitur logica fidei. Suppositio mediata extra terminum & numerum. Contra rean, Dialect.

Nulla forma syllogistica tenet in terminis diuinis. Contra Card.

Non tamen ideo sequitur, ueritatem articuli trinitatis repugnare formis syllogisticis. Contra eosdem Card. Ca.

Si forma syllogistica tenet in diuinis, articulus trinitatis erit scitus & non creditus.

Breuius Totus Aristoteles ad theologiam, est tenebræ ad lucem. Contra schol.

Dubium est uehemens, An sententia Aristotelis sit apud latinos.

Bonum erat ecclesie, si theologis natus non fuisset porphirius cum suis uniuersalibus.

Vsitatiores diffinitiones Aristotelis, uidentur petere principium.

Ad actum meritorium satis est coexistentia gratie

gratie, aut coexistencia nihil est. Contra gab

Gratia dei nunquam sic coexistit ut ociosa.
Sed est uiuus, mobilis & operosus spiritus, Nec per
Dei absolutam potenciam fieri potest, ut actus ami-
cicie sit, & gratia Dei praesens non sit. Contra
gab.

Non potest deus acceptare hominem sine gra-
tia dei iustificante. Contra Ocam.

Periculosa est haec oratio, lex praecipit, quod
actus praepcepti fiat in gratia dei. Contra card.
& gab.

Sequitur ex ea, quod gratiam dei habere, sit
iam noua ultra legem exactio.

Ex eadem sequitur quod actus praepcepti po-
ssit fieri sine gratia dei.

Item sequitur quod odiosior fiat gratia dei
quam fuit lex ipsa.

Non sequitur, lex debet seruari & impleri
in gratia dei. Contra gab.

Ergo assidue peccat, qui extra gratiam dei
est. Non occidendo, non mechando, non furando.

Sed sequitur, peccat, non spiriritualiter le-
gem implendo.

Spiritualiter, non occidit, non mechatur,
non furatur, qui nec irascitur nec concupiscit.

Extra gratiam dei adeo impossibile est, non

C iij irasci

irasci, non concupiscere, ut nec in gratia satis id fieri possit ad legis perfectionem.

Hypocritarum est iustitia opere & foris non occidere non mechari &c.

Gratie Dei est nec concupiscere, nec irasci.

Impossibile est itaq; legem impleri sine gratia Dei ullo modo.

Quin etiam magis destruitur per naturam sine gratia Dei,

Lex bona necessario fit mala, uoluntati naturali.

Lex & uoluntas sunt aduersarij duo, sine gratia Dei impacabiles,

Quod lex uult, semper uoluntas non uult nisi timore uel amore simulet se uelle.

Lex est exactor uoluntatis, qui non superatur, nisi per paruulum, qui natus est nobis.

Lex facit abundare peccatum, quia irritat & retrahit uoluntatem a seipsa.

Gratia autem Dei facit abundare iustitiam per Iesum Christum, qui facit placere legem.

Omne opus legis sine gratia Dei foris apparet bonum, sed intus est peccatum. Contra scho.

Semper auersa uoluntas, & conuersa manus sunt in lege domini sine gratia Dei.

Conuersa

Conuersa uoluntas ad legem sine gratia Dei
est affectu commodi sui talis,

Maledicti sunt omnes, qui operantur opera
legis.

Benedicti sunt omnes, qui operantur opera
gratiæ Dei.

Cap. Falsas de pe. dis. . V. confirmat
opera, extra gratiam non esse bona si non false in-
telligatur.

Non tantum ceremonialia sunt lex non bona
& præcepta in quibus non uiuitur. Contra mul-
doctor.

Sed & ipse decalogus & quidquid doceri,
dictariq; intus & foris potest,

Lex bona & in qua uiuitur, charitas Dei est
spiritu sancto diffusa in cordibus nostris.

Voluntas cuiuslibet mallet, si fieri posset,
esse nullam legem & se omnino liberam.

Voluntas cuiuslibet, odit sibi legem poni, aut
amore sui cupit poni.

Cum lex sit bona, non potest uoluntas eius ini-
mica, esse bona.

Et ex illa clare patet, patet, quod omnis uo-
luntas naturalis est iniqua & mala.

Necessaria est mediatrix gratia, quæ concili-
et legem uoluntati.

C n

Gratia

Gratia Dei datur ad dirigendum uoluntatem
ne erret etiam in amando Deum, Contra Gab.

Nec datur, ut frequentius & facilius eliciatur
actus, Sed quia sine ea non elicitur actus amoris.

Contra Gab,

Insolubile est argumentum superfluam esse
charitatem, si homo naturaliter potest in actum ami-
citiae. Contra gab.

Subtile malum est dicere, eundem actum esse
fruitionem & usum. Contra Oaam, Card, gab,

Item quod amor dei stet cum dilectione crea-
turae, etiam intensa.

Diligere deum, est seipsum odisse, & prae-
ter deum nihil nouisse.

Tenemur uelle nostrum omnino conforma-
re diuinae uoluntati. Contra Card.

Non tantum quod uult nos uelle, Sed prorsus,
quodcumq; deus uult, debemus,

IN HIS NIHIL DICERE VOLVIMUS
nec dixisse nos credimus, quod non sit catho-
lica ecclesiae & ecclesiasticis docto-
ribus consentaneum.

M. D. XVII.

EPISCO

EPISCOPIS ET DIACONIS ECCLE

sie Vitebergensis de uoto religionum dispu
tantibus, Martinus Lutherus seruus,
hæc mittit.

Omne quod non est ex fide peccatum est.

Hoc uerbum de fide illa unica iustificante di
citur.

Fides informis, acquisita, generalis, & quam
docent prostibula Papæ, somnium est.

De qua nihil in scripturis, nec nos nunc eius
meminisse uolumus.

Est autem fides substantia rerum speranda
rum, argumentum non apparentium.

Hoc est, firma opinio, constansq; conscien
tia iustitiæ & salutis.

Quæ nullis prorsus operibus, sed sola miseren
tis dei gratia paratur.

Fides nunquam est præteritarum rerum sed
semper futurarum.

Idem enim deus eademq; misericordia anti
quis & nobis futura fuit,

Errant itaq; sophistæ Paulinam fidei diffini
tionem præteritis tribuentes.

Non enim factis rebus, sed promissionibus dei
res facturi creditur.

Res

Res enim uidentur non creduntur, factor autem omnium solum creditur.

Opus bonum fit aliquando opinione iustitiae & salutis querendae per ipsum.

Hæc opinio, uniuersa impietas, infidelitas & idolatria est,

Et peccat in fidem, in promissionem ueritatis Dei, & in totam tabulam primam,

Sequitur, opus huiusmodi impium, sacrilegium, & prorsus infidele & gentile esse.

Quo non deo uiuo & uero, sed i dolo & mendacio cordis id est, dæmonibus seruitur.

Talia opera parat lex etiam diuina, si nondum fuerit spiritualis.

Hinc opera legis uocat Paulus, quibus ira & mors debetur.

Lex autem facta spiritualis occidit & opera cuncta euacuat & parasceue est gratiæ.

Gratiæ uero in occisis & in sabbato facit bona opera.

Peccans in tabulam secundam, peccat simul in tabulam primam.

Ideo plus peccat adulter quam hypocrita, cæteris paribus.

Facilius autem cognoscitur adulterium quam hypocrisis, ideo & facilius curatur.

Vt

Vt meretrix abusum auri potest ponere solum
aut simul & aurum.

Ita impius potest impietatem operis ponere so-
lam, aut simul & opus.

Vt meretrix abusum auri ponere debet, au-
rum ponere non cogitur.

Ita impius impietatem operis ponere debet,
opus ponere non cogitur.

Votum religionum aut quodcumq; , omnino
quædam lex est, conscientiam natura captiuans.

Et uita religiosa aut deuotaria, non nisi ope-
ra legis, natura sunt.

Quæcumq; ergo de lege & operibus Paulus
sentit, de uotis & religiosis sentienda sunt.

Est itaq; uouere uirginitatem, cœlibatum, re-
ligionem & quodlibet, sine fide.

Tale uotum, sacrilegum, impium, idolatri-
cum demonibus uouetur.

Vox ita uouentium est hæc, Voueo tibi Deus,
totius uitæ sacrilegam impietatem,

Tales religiosi sunt similes uel peiores gal-
lis & uestalibus gentium.

Imo cum Manasse impio cultores sunt Mo-
loch in ualle Ennon.

Quia uota sua opinione iustitiæ & salutis uo-
uent, per ipsa parandæ.

Quam

Quam opinionem soli miserenti deo debent,
& dant eam operibus suis.

Sic per uota sua opus manuum suarum adorant & colunt pro deo.

Fides enim est ea opinio cordis, qua solus unus uerus deus colendus est.

Imo infidelitas & peruersitas cordis & summa impietas.

Metuendum, his infidelitatis temporibus, inter mille uix unum pie uouere.

Probabile enim est, non fuisse uoturos, si scissent nec iustitiam nec salutem per uota contingere.

Quorum uox id confitetur dicens. Quid alioqui facerem in Monasterio?

Omnes tales aduersus Dominum & Christum eius sacrilegam uiuunt religionem.

Vnde & rigide punienda sunt eiusmodi uota, nedum rumpenda.

Et ea Monasteria, ceu Satanae & lustra & prostibula, solo aequanda,

Nec eos quicquam iuuat, quod sua informi, id est, ficta fide se uouere & uiuere iactent.

Nec uoluntarium illud prodest, quod e natura & libero arbitrio fingunt.

Est itaque sibi conscius aliquis sese hac sacrilege opinionis impietate uouisse.

Hic

Hic nihil morari debet Papisticam autoritatem
aut uulgi opprobrium,

Sed salutis suæ rationem præferat omnibus,
& uotum cum professione relinquat,

Melius est Apostatam esse inferni & impietatis,
quam cœli & pietatis, ut Prouerbiorum sexto
consulitur,

Aut si uolet & potest, uotum & religionem
teneat, impietatem ponat,

Potest enim religiosus, abusum uoti solum, aut
simul utrunq; ponere.

Abusum uoti dicimus, hanc ipsam impiam
opinionem fidei aduersariam.

Imo abusum seu impietatem debet ponere, sub
maledicti æterni pœna.

Votum autem seu religionem, noua pietatis
opinionem, innouare denuo potest,

Quod si denuo innouare & ab integro uocare
non uolet, liberum esto.

Prius enim impietatis uotum, ut nihil unquam
fuit, ita nihil est nec erit,

Ideo nisi nouo in fide pia uoueris, liber es &
fuiſti ab omni uoto,

Nihil enim contra Deum, sed omnia pro Deo
possumus & debemus.

Certum

Certum est Episcopis nostris Apostaticis regnantibus, fidem Dei occubuisse,

Horum igitur culpa est perditio tot adolescentulorum & adolescentularum uouentium.

Quo fit, ut maiores tales habeant & necessitatem & ius uota sua rumpendi,

Quia fidem & regnum Dei non audierunt a mutis illis Tyrannis,

Imo sicut oues a lupis, per impiam operum doctrinam ab eis deuorati sunt.

Multo maxime ij etiam extrudendi sunt, qui uentris aut gloriæ affectu uouerunt.

Deus opera sui præcepti damnat & omitti mandat, si sine fide fiant.

Multo magis opera uotorum damnata & omissa uolet, si sine fide fiant.

Non per hæc omnium religiosorum uota aut uitam damnasse uolumus.

Sed sicut Paulus legis usum legitimum, ita nos uotorum docemus.

Nouum enim testamentum, regnum est libertatis & fidei.

Ideo ut legem & opera eius non patitur, ita nec uota nec religiones eorum.

Hæc tamen libertas non carnis sed spiritus seu conscientie est.

Vt ergo cum Apostolo, sub lege fieri potest,
qui non est sub lege, iure huius libertatis.

Ita ad eandem libertatem pertinet, sese posse
perpetuo uoto aut cuiuscumque legi subdere.

Talis fuit Bernardi religio, & omnium, qui
foeliciter religiosi fuerunt.

Non enim ut iusti & salui per hoc uitae ge-
nus fierent, uocabant.

Sed ut iam fide iusti & salui, libere in istis
uotis degerent.

Sic tuto & uouet & uiuit in religionibus, qui
fide in illis uiuit.

Et non per eam uitam, iustus, sanctus &
saluus fieri confidit.

Imo cum Apostolo, stercora ducit has iusti-
cias & sanctitates propter iusticiam fidei.

Sacrilegium itaque est, ordines religiosorum,
sanctos appellare,

Vna religio sancta & sanctificans est, Chri-
stianismus seu fides.

Cuius sanctitatis nomen non sine animarum
deceptione alijs communicatur.

Fit enim hoc abusu nominis ut uota plus noce-
ant quam lex & opera eius.

Siquidem lex saltem est pedagogus ad Chri-
stum & fidem eius.

D

At

At uotum hoc modo pedagogus est a Christo
& fide ad legem.

Ferenda imo utilia erant & hac ratione monasteria, si pedagogia essent.

Vt pueri ad tempus erudirentur in eis, ad Christum & fidei libertatem.

Nunc uero & uiri uouent & in perpetuum uouent, ut pueri sint semper.

Et si igitur uouendi studium, pio fidei usu, innoxium esse potest.

Vitæ tamen ipsum genus, sicut legis uita, pugnat cum Euangelio & Christianismo.

Et mors & mala mundi, bono fidei usu, innoxia esse possunt,

Natura tamen sua pugnant aduersus pietatem & Ecclesiam.

Quod ergo Ecclesia sentit de morte & malis mundi, hoc de uotis & religionibus sentiendum est,

Utrobique enim non iustitia, sed libertatis & iustitiæ usus & exercitium esse potest.

Is solum error animarum perdendus est, qui uota pro re bona & iusta sequitur.

Et mors lucrum & uotum lucrum est, si utrolibet legitime utaris.

Et mors perditio & uotum perditio est, si utrolibet peruerse abutaris,

Omnia

Omnia enim sanctis in bonum impijs uero
omnia in malum cooperantur.

At hodie fidem & usum hunc nulli ferme do-
cent religiosi.

Proinde damnandæ & prohibendæ erant
uniuersæ religiones.

Imo cum contraria doceant, sunt fugiendæ si-
cut prostibula publica.

Contrarium enim est, docere religiones esse
uitam consiliorum ultra præcepta.

Contrarium est docere Religiones esse status
perfectionis.

Contrarium imo horrendum est docere Religio-
nes esse supra communem uitam Christianorum.

Hæc cum sint capita doctrinæ eorum, nihil
sceleratius docetur in orbe,

His enim auertunt corda hominum a fide,
communi salutis uia, ad sua præcipitia.

Idco eius opinionis uota ceu Satanae ultima
opera, soluenda & perdenda sunt.

Nec quemquam mouere debet, si ordinibus
sacris, quos uocant, fuerit illaruatus.

Nihil enim ordines illi sacri, quam laruae sunt
hominum, deo ignotæ.

Character presbyteralis, non nocebit, nisi rem
fictam metuas.

D ij Minis

Ministerium uerbi & Ecclesiae, id est, populi presbiterum te uere & solum facit.

Vt fides ita & caritas excepta est in omni uoto & religione.

Nihil enim possumus aduersus fidem, ita nec aduersus charitatem.

Obstabit ergo, uotum, statutum, regula, ne proximo seruire alicui possis.

Hic rumpes uincula illa sicut Samson stupas Philistinorum.

Franciscanus itaq; pecuniam proximo portare aut porrigere recusabit.

Hic non modo impius in Deum, sed ridicule quoq; stultus est.

Pecuniam proximorum non tangit aut fert, cui tamen debet & uitam & omnia.

Aut enim Franciscus hoc non uoluit, aut humanum quid in ea re passus est.

Eiusdem impietatis est, si parentes, domesticos aut amicos reliqueris.

Modo tua opera opus habeant & tu illis prodesse possis,

Impie prætexunt hic obedientiam, ob quam bonum opus intermittendum sit.

Non est hæc obedientia nisi Satanae, quæ obedientiam Dei, id est, caritatem omittit.

Aut

Aut ergo da monasterijs doctores fidei, aut
dele ea funditus

Non potest doctrina & uita uotorum, sine
doctrina fidei non esse uia ad mortem.

Nec eiusmodi sunt monasteria, ut medium &
neutrum esse quid possint.

Sed simpliciter sunt os inferni patentissi-
mum, si fidei scientia desit.

Cetera opera & uitae genera non illaqueant,
etiam absente fide, conscientiae fiduciam.

Monasticum uero genus, si fides desit, non po-
test non lactare conscientiam, impia fiducia.

Eccae haec sunt illa tempora nouissima & peria-
culosa apud Paulum.

Hi sunt homines, speciem pietatis habentes
& uirtutem eius abnegantes.

Hi sunt lupi intus rapaces sub uestimentis
ouium incedentes.

Hi sunt qui amissa fide docent, Eccae hic &
eccae illic est Christus.

Hi sunt Pseudochristi, qui etiam electos in
errorem ducunt

Hi sunt quorum operationibus Antichristi
regnum firmatum est.

HAEC SIC DISPUTARI VOLO VT
certa & uera teneantur. Quae sequuntur
simpliciter propono disputanda
& inquirenda.

AN LICEAT PERPETVVM
VOTVM VOVERE,

Euangelica libertas diuini est & iuris & doni,
Ea est, nulli operi, loco, rei, personae adhere
re necessario.

Sed usum horum omnium, ut sese obtulerint,
liberum habere.

Nec potest harum cuiquam proprie sese dedere,
alia abdicare.

Sed prorsus absq; electione communem &
indifferentem omnibus sese prestare.

Vni duntaxat uerbo gratiae necessario adhe
rendum esse nouit.

Quod solum propheta in Psal. petit a domi
no, & Christus laudat in Magdalena.

Nihil iuris ergo est ulli creaturae, in hanc li
bertatem,

Nec in manu eius quicquam in illa mutare
aut superordinare.

Nec dubium est, autore Paulo, quin deus illam
lam

lam exigat in omnibus, præ omnibus, ab omnibus.

Vt tam impossibile sit ipsum agnoscere, quicquid aliter factum fuerit.

Quam impossibile est, ut se ipsum neget, aut uerbum suum reuoct.

Sequitur, uota talia esse oportere, quæ huic libertati non repugnent.

Talia autem non sunt, nisi libera sint, nunc seruari, nunc omitti potentia.

Constat enim uota, locis, personis, rebus, operibus, natura sua esse affixa.

Virginitatem enim uouere nihil est, nisi operi & personæ sese affigere.

Quare non potest sic uoueri quin libertas maneat eam relinquendi.

Alioqui contra libertatem necessario adheretur illi, quod necessarium non est.

Hic nihil eos iuuat, quod Apostolo magistro uirginitas melior est coniugio.

Non quid bonum aut melius, sed quid oporteat & non oporteat fieri queritur.

Bonum coniugium, melior uirginitas, sed optima fidei libertas.

Coniugium non necessarium, uirginitas non necessaria, sed necessaria libertas.

Vt ergo nec bonum propter melius, nec melius propter optimum est perdendum.

Ita multo maxime necessarium propter non necessarium non est uiolandum.

Item nec optimum propter melius, nec melius propter bonum, tollendum,

Si Paulus legem libere, ut fors ferebat, seruauit & omisit.

Ad hæc in baptismo uniuersi primario uoto huic libertati nos astrinximus.

Quare non est ut alio uoto illud irritare, fraudare, superordinare possimus.

Alioqui uotum erit aduersus uotum, & structura contra fundamentum.

Pugnat ergo uotum religionum ex diametro cum baptismo & Euangelio Dei.

Sanctus Bernhardus & quicumque sancti religiosi uota sua libere seruauerunt.

Si autem negassent etiam omitti posse, arte ut homines errassent.

Iidem si uouendo hanc omissionis facultatem exclusissent, peccassent.

Nihil enim contra libertatem sed solum pro libertate potuerunt.

Imo sequitur, nullum eorum seruasse suum uotum.

Non

Non enim uotum quia uotum, sed quia placitum sponte seruauerunt.

Acti enim spiritu Dei, sub uoto, sine uoto uiuebant.

Cum hoc sit demum seruare uotum, si serues quia uotum.

Nec seruaturus alioqui, si uotum non esset.

Sic lex non est lex, autore Paulo, si libere eam serues.

Ita uotum non esse uotum sequitur, si libere illud serues.

Non enim legem seruas, quia lex est, sed quia sine lege placent ea quæ legis sunt.

Ita opus, non est opus, si libertate regnante opereris.

Non enim operaris, quia opus necessarium sit, sed quia sic placet operari.

Hæc igitur libertas uoti in uoto seruauit sanctos illos.

Pio errore lapsi uouerunt, cum idem sit, ac si nihil uouerent.

Nisi quod occasione uoti, in spiritus sui usum certum peruenerunt.

Tolerauit eam stulticiam, ut multa alia, deus in electis suis.

D v

Simul

Simul imperfectum eorum operuit, quæ
operit omnia, caritas.

Qua liberaliter fratribus suis sese seruos
cum Apostolo fecerunt.

Vt nos erudiamur, ne facta, sed fidem pa-
trum, docente Paulo Heb. xij. imitemur.

Exempla enim sanctorum uult infirma esse,
ut solum eius uerbum sit uirtus credenti.

Quo & operationem erroris mittat incredulis
& uerbi eius contemptoribus.

Vt ergo miracula non sunt trahenda, ut di-
cunt in consequentiam.

Nec omnibus in ignem insilire licet, quod tres
pueri seruati sunt in fornacæ Babylonis.

Ita ut demus miraculose sanctos uouendi ri-
tu fuisse faeliciter usos.

Perniciosi exempli tamen est, eum ritum,
pro communi uitæ ratione instituere.

Manet ergo coram deo & baptismo tuo li-
bertas, uoueris non uoueris.

Neq; deus mutatur ut homo, ut libertatem se-
mel datam reuoct.

Neq; mouetur, quod stulto uoto ad reuoctan-
dum cum tu sollicitus.

Tam certum est itaq; ut uotum tuum, pro uo-
to serio non agnoscat.

Quam

Quam certum est, quod baptismale libertatis
uotum pro serio uoto, & imminutum haberi uolet.

Sed ut lex superior immutabile metrum est
omnium inferiorum legum.

Ita baptismi uotum inflexibilis regula est om-
nium uotorum sequentium.

Non libertas eius illorum captiuitati, sed cap-
tiuitas illorum huius libertati cedit.

Sic uelle se deus insigniter declarauit in uotis
paupertatis & obedientie.

Sanctum Bernhardum enim & alios multos
non solum in praefecturam aliorum exaltauit.

Sed & illustribus miraculis in eadem illustra-
uit & glorificauit.

Non minus autem ualet paupertatis & obedi-
entiae, quam castitatis uotum.

Et quod de uno eorum fieri & dici potest, de
singulis fieri & dici debet.

Impossibile autem est, praefecturam cum pau-
pertate & obedientia stare.

Cum talis & mandetur rebus, & aliorum
obedientia potius subdatur ei.

Quare Bernardus & quicumque fuerit, alijs
praefecti, a uotis illis diuinitus sunt absoluti.

Et monstratum euidenter, non fuisse illa co-
ram deo perpetua.

Nec

Nec est quod hic uersute cauillentur uarias
paupertates & obedientias.

Euidens est uotum paupertatis deuouere ex-
ternum usum rerum.

Spiritualem enim paupertatem uniuersi in
baptismo uouimus.

Eque euidens est, praefectum monasticum,
externum usum rerum habere

Multo minus hoc illudet, quod praefectum,
non sua, sed communia curare iactant.

Hoc enim nihil differt a senatu & quibuslibet
laicis aconomis.

Euidens etiam est id uoti, tale solum uitae ge-
nus statuere quale est subditorum.

Alioqui, saluo uoto licet omnes esse praefec-
tos eiusmodi, nullos subiectos.

Aut ergo sancti praesse non potuerunt, aut
uotum eorum liberum & temporale fuit.

Ne illud quidem iuuat, quod praefectus in
perfectiorem statum migrat.

Ius . n . diuinum, quale uotum est, nullius bo-
ni gratia uiolandum est.

Stat Paulus, Non sunt facienda mala ut ue-
niant bona.

Sic nihil dicitur, quod praefectus obedientiae
Episcoporum & maiorum subditur.

Ea obedientia nihil differt ab omnium laicorum obedientia.

Et uotum, eorum solum obedientiam uouet, quam dicitur regula professioni subditis.

A qua tamen liberantur, facti uel Episcopi uel Cardinales.

Nec licere soluto uoto, eam maiorum obedientiam, etiam si melior esset subire.

Obstat enim diuinum ius uoti, quod ne regni quidem cœlorum gratia lædi debet.

Nisi hic dixerint uotum religionis in totum sic subdere hominem homini.

Vt præfectus ius habeat, etiam rursus eum dimittendi liberum, si casus postulet.

Id quod ego prope toto sensu uerissimum esse affirmauerim.

Tum si casus sit, & præfectus nolit, ut debet, nihilo minus liberum esset

Aut si hoc non est, paupertatis & obedientiæ uota iam probauimus non esse perpetua.

Quare sequitur & congenium eorum castitatis uotum liberum & temporale esse.

Vt Monasteria aliud non sint, quam Christianæ pueritiæ formandæ pedagogia.

Quam sub disciplina temporali formari corporaliter jaluberrimum est.

Cum

Cum ergo testibus, uerbo, fide baptismo.
operibus dei, uotum hoc nihil sit.

Oportet te iam cum fiducia & conscientiam
tuam a teipso liberare.

Si enim nos stulti uel infideles contra liberta-
tem nostram uouemus.

Ipsa fidelis & bonus, tenaxq; libertatis, stul-
ticiam nostram non acceptat.

Non aliter quam si tibi sub nomine eius, quic-
quam diri imprecatus fueris.

Quod ipse pro sua bonitate non exaudit, stul-
ticiam tuam miseratus.

Ratio pietatis etiam perpetuis uotis aduersa
ri uidetur.

Certum est enim fidem Christi posse in deuo-
tario cadere.

Labente autem fide, omnia opera & uota bo-
na sunt impia idolatria.

Si tenet igitur uotum absente fide, iam, quod
est impossibile, cogetur homo idololatrare.

Quare ut opus bonum ita & uotum, donec
absit fides, necessario dimittetur.

Atq; ita uotum sicut & opus bonum, non po-
test unquam simpliciter uoueri.

Sed necessario conditionem fidei presentis
& manentis, pro fundamento presupponit.

Quod

Quod nisi fiat, inane & impium & damna-
bile uotum uouetur.

Porro aliud est, quod Paulus de coniuge &
seruo perseuerando præcipit,

Libertas Euangelij non tollit res & corpo-
ra & debita hominum.

Alioqui & debita pecunie & possessionum
tollere debuit.

Sed conscientias liberat a uinculis spiritali-
bus opinionum impiarum.

Coniunx non est deo coniunx, sed homini, si-
militer, & seruus homini seruus est.

Vouentes uero non homini sed deo sese capti-
uant & tradunt.

Quos ipse tamen in eadem re liberat & libe-
ros esse iubet.

Aedificant in se quod deus destruit, Et de-
struunt quod deus aedificat.

Sicut si herus libertate donet suum seruum
gratuita bonitate.

Et seruus, hanc accepturus sese ei in seruitu-
tem det noua stultitia.

Magnum & potens argumentum est etiam
aduersus uota perpetua. quod sunt ex hominibus.

Quicquid enim scriptura dei nec præcipit
nec consulit prorsus fugiendum est.

Vouendi

Vouendi autem hunc ritum ne exemplo
quidem ullo testatur, nedum consulit.

Quare ut periculosum est ingredi religio-
nem, ita tutissimum est regredi ingressos.

Qui non sequitur lucem scripturæ necessario
in tenebris ambulat.

Et qui periculum amat, ait sapiens, peribit
in illo.

Nec dubitandum, uelle deum hoc irritum fie-
ri, quod sua scriptura non probatur.

Non enim frustra Abrahamā fratres Epulonis
ad Mosen & prophetas relegauit.

Nec dignatus est cum præter hos ullo alio
consilio uiuos docendi.

Et ubiq; scriptura plane præcipit, neq; ad
dextram neq; ad sinistram declinandum.

Vt facile credas, etiam præcepto Dei, irri-
ta esse, perpetua illa hominum uota.

Hoc est, ne quis ea necessario perpetua, &
non libera doceat.

Lex mosi sane uota multa figuralia baptis-
malis uoti, permittit.

Sed ea omnia temporalia facit, nec ad castita-
tis uotum ulla syllaba pertinet.

Quod castitas ei populo illicita, nec lege san-
ciri nec uoueri poterat.

Vt

Ut non queant uerba legis generaliter ad
nostra uota quoq; pertinere.

Summa. Vota libera sunt, non damnata. tum
temporaliter, tum perpetuo seruabilia.

SEQUENTES PROPOSITIONES

sustinet, fauente Christo, D. Martinus, Sanc
te Ecclesie Dei Viteberg. Doctor,
aduersus totam synagogam Sata
ne, & uniuersas portas infero
rum,

Ecclesia Dei non habet potestatem condendi
ullum articulum fidei, sicut nec ullum unquam con
didit, nec condet in perpetuum,

Ecclesia Dei non habet potestatem statuendi
ullum præceptum bonorum operum, sicut nec ullum
unquam statuit, nec statuet in perpetuum.

Omnes articuli sufficienter sunt in scripturis
sanctis conditi, ut non sit opus ullum præterea condi.

Omnia præcepta bonorum operum sunt in
scripturis sanctis sufficienter statuta, ut non sit opus
ullum præterea statui.

Ecclesia Dei non habet potestatem approban
di articulos, aut præcepta seu scripturas sanctas,

E

more

more Maioris uel authoritate iudiciali, nec id unquam fecit, aut faciet.

Ecclesia Dei potius contra, per Scripturas sanctas seu articulos fidei est approbata & confirmata, tanquam a Maiore & authoritate iudiciali.

Ecclesia Dei approbat articulos fidei seu Scripturas, more Minoris, id est agnoscit & confitetur, sicut seruus sigillum domini sui.

Stat sententia, Qui non habet potestatem promittendi & dandi futuram & presentem uitam, is non potest condere articulos fidei.

Ecclesia Dei habet potestatem ordinandi ceremonias, in ferijs, cibis, ieiunijs, precibus, uigijs &c. non super alios, sed solum super seipsam, nec unquam aliter fecit, aut faciet.

Sic tamen, ut cæ ceremoniæ non pugnent articulis fidei, aut præceptis operum.

Etiam sic, ut sint de possibili, & quod in eius manu est.

Etiam sic, ut conscientiam neq; ligent neq; turbent.

Etiã sic, ut temporales, non perpetuæ habeantur quolibet die & casu mutabiles, & omitti potentes.

Cælibatum aut uota non potest mandare, nec sibi ipsi quidem Ecclesia, multo minus alijs, cum non sint in eius manu.

Ecclesia uero est numerus seu collectio baptizatorum

tizatorum & credentium sub uno pastore, siue sit
unius ciuitatis siue totius prouinciæ, siue totius or=
bis.

Is pastor seu prælatus nihil habet statuere
(quia non est Ecclesia) nisi consentiente sua Ecclesia.

Pastor hortari et persuadere potest Ecclesiæ,
ut consentiat, certis urgentibus causis, sibi ipsi ieiu=
nium, serias, præces, aut alias ærimonias in tempus
imponere, & rursum ubi uolet, mutare & omitte=
re.

Articuli fidei & præcepta operum non pos=
sunt mutari, Cerimonie uero debent pro tempore
mutari.

Nulla fuit ruditas & asinitas maior unquam
quam Papistarum, qui Cerimonias pro articulis fi=
dei, deinde immutabiles, & unum membrum Pon=
tificæ solum potestatem hanc habere, derudunt.

Nulla fuit hæresis & malicia maior, quam
Papistarum, qui omnia in omnia miscentes & con=
fundentes, articulis pares ærimonias faciendo, reg=
num liberrimum Christi plus quam seruitute Aegyp=
ti & Babylonis oppresserunt.

Hæreticus dici non potest, qui contra Eccle=
siæ ordinationem ærimonias onuttit licet peccet, ut
promissi non seruans.

Hereticus dici non potest, qui præcepta operum diuina transgreditur.

Hereticus dici non potest, qui articulum aliquem fidei ignorat.

Hereticus dici debet, qui obstinate errat in articulo fidei, & idem asserit.

Sicut transgressor præcepti Magistratum non est seditiosus, licet peccet sitq; puniendus.

Sed qui negat aut impugnat Magistratum, is est seditiosus.

Cum Papiæ nec furem, nec latronem, nec adulterum, qui tamen in diuina præcepta peccant, non dicant hereticum, sicuti uere neq; heretici illi sunt.

Merito asini asinorum dicendi sunt, quod hereticos clamant eos, qui contra ceremonias Ecclesie peccant.

Siquidem asinis digna est sapientia, matricidam, parricidam, Sodomitam hereticum non dici, at uescentem carnibus sexta feria hereticum iudicari.

Etiam ipsa Papæ ecclesia, quamuis sit malignantium Ecclesia, tamen coniugium sacerdotum sola officij suspensione damnat.

Concedit igitur Christianum & non hereticum dicendum esse, quisquis sacerdotum duxerit uxorem.

Qua

Quare nec ad infernum damnat animam eius, uti solent hæretici damnari.

Concedit simul (necessario) nec morte puniendum esse, sed adempto duntaxat officio, uiuere ut Christianum sinit & fatetur.

Quare certum est nec mortale peccatum reputari, in ipsa Papæ ecclesia, si sacerdos duxerit uxorem.

Concedit insuper (necessario) nec corpore puniendum nec incarcerandum esse, sed adempto solum officio liberum ire & agere.

Quare certum est, nec crimen censeri in Papæ Ecclesia, si sacerdos duxerit uxorem.

Concedit ultra necessario, nec rebus aut proprijs bonis esse spoliandum, sed adempto solum officio, suis rebus libere posse uti.

Quare nec scandalum aut turpitudinem esse censet, si sacerdos duxerit uxorem.

Qui igitur ultra suspensionem ab officio, addunt pœnam hæresis, mortis animæ & corporis. dehinc spolium rerum & famæ, hi sunt publici latrones, sures, homicidæ, proditores, falsarij, tyranni, etiã secundum iura Papæ, & in sua Ecclesia.

Ex his potest intelligi, quid ex Ecclesia Papæ tandem factum sit, in qua tales uiri habentur pro sanctissimis & sapientissimis.

NICOLAI AMSDORFII.
CONCLUSIONES.

Gratia uoluntati conuertendæ & conseruandæ ita est necessaria ut sine ea uere credere non possit test nec naturam conditam seruare nec amissam recuperare .

Sicut libero uoluntatis arbitrio sine gratia Spi. S. speciali, bona opera non sunt tribuenda , Ita mala opera quasi securi de gratia nequaquam diligamus .

Non sunt ergo elemosinæ orationes ieiunia & reliqua bona opera dimittenda , Sed potius cum omni studio augenda & continuanda .

Sicut gratiæ in præsentis seculo nihil est utilius quam ut moriamur peccato. Ita gratiæ nemo est ingrator quam qui propter illam per quam moriamur peccato uult uiuere in peccato.

Fides quæ credens in filium dei uiuit ut habeat uitam æternam gratiam nunquam præcedit sed sequitur.

Nullus ergo potest remouere obicem nisi per

Gratia

gratiam Spi. S. qui cor lapideum aufert. Igitur falsū
est quod dicitur non ponenti obicem dabitur gratia.

Liberum uoluntatis arbitrium sine gratia
gratuita nihil potest. Imo ad nihil nisi ad peccan-
dum ualet.

Gratia tamen uoluntatem non tollit sed iuuat.

Tunc homo facit quod in se est quando peccat
& tunc peccat quando agit secundum dictamen ra-
tionis naturalis.

Non tamen omnis operatio extra gratiam
est crimen.

Facere quod in se est non est aliud quam secun-
dum sua naturalia ut nunc sunt agere & uiuere.

Ratio hominis naturalis non querit aliud nec
querere potest nisi suum commodum & bonum.

Nec ut sic sine gratia gratuita potest mora-
liter bene agere.

Homo non debet æternam suam beatitudinem
& peccatorum remissionem simpliciter petere aut de-
siderare sed sicut temporalia sub cōditione,

Talia simpliciter petere est frui creatura &
uti creatore.

Carentia uisionis æternæ a pena sensus ignis
non est separabilis Idco omnes paruuli sine baptis-
matis sacramento decedentes æterni ignis supplicio
puniuntur

M. D. XXVII.

PHI.

PHILIPPI MELANCHTHONIS
DISPVATIONES.

DISPVATIO . QVARE FIDE
iustificemur non dilectione.



*ciam aduersarij nos
tri coguntur fateri quod in iu
stificatione necesse sit primum
fieri remissionem peccatorum
quia omnes sub peccato su
mus .*

*Impossibile est remissi
onem peccatorum fieri , nisi fide in Christum cum
apprehendimus Christum mediatorem , & oppo
nimus cum iræ dei , hæc fides consolatur & erigit
conscientias.*

*Impietas est sentire , quod dilectione dei con
sequamur remissionem peccatorum , quia id est sen
tire , quod propter nostrum opus , non propter Chri
stum habeamus remissionem peccatorum , ita meri
tum Christi tolleretur & obrueretur .*

*Imo impossibile est adesse dilectionem , nisi
prius sit apprehensa misericordia . Nam priusquam
hoc fit , corda fugiunt iram dei , & irascuntur iu
dicio dei*

Ergo

Ergo manifestum est, quod sola fides iustifi-
cat, hoc est, ex iniustis acceptos efficiat & rege-
neret.

Triplex iusticia est una Rationis. Altera
quam lex Dei exigit. Tertia quam Euangelium pro-
mittit.

Constat nos neq; ratione iustificari, neq; le-
ge, sed Euangelio, Nam alioqui frustra Euangelium
traditum esset.

Constat Christum mediatorem esse, nec nos
habere accessum ad deum ratione, aut lege, prius
quam per Christum.

Nec per Christum habemus accessum, nisi
fide Rom. V.

Iusticia rationis est iusticia operum quæ ra-
tio efficit. Hanc iusticiam homines intelligunt.

Falsum est quod per talia opera rationis, ut
monachatus, & similia exercitia mereamur remis-
sionem peccatorum.

Nam hoc est honorem mediatoris ademptum
Christo, tribuere illis operibus rationis. Fide per
Christum habemus accessum ad deum, non per ope-
ra rationis.

Iusticia legis est, dilectio dei & proximi,
Hanc non intelligit ratio humana. Et sophistæ lo-
quentes de dilectione dei, quid sit dilectio non po-
ssunt

E v ssunt

possunt ostendere, quia natura humana oppressa concupiscentia, non uidet quid sit diligere deum.

Honos mediatoris non est tribuendus nostræ dilectioni, etiam si qua esset. Ideo accedimus ad deum, non merito dilectionis nostræ, sed fide propter Christum.

Ideo dicit paulus nos non iustificari ex lege, sed ex promissione.

Necesse est igitur iusticiam promissionis adesse, ante iusticiam legis aut rationis.

Promissio fide accipitur. Prius igitur fide iusti sumus, qua accipimus promissam reconciliationem, quam legem facimus.

Maledicti sint qui ad deum lege aut ratione accedunt sine mediatore Christo,

Et tamen cum fide renati sumus, accepto spiritu sancto fit in nobis iusticia legis, dilectio dei & proximi, timor dei, obedientia erga magistratus parentes, patientia, & similes uirtutes.

Hæc inchoata impletio legis est effectus in his qui iam fide iustificati sunt & renati.

Non igitur regenerat dilectio.

Principio igitur iustificat fides quæ regenerat.

Nec honos mediatoris postea transferendus est in implecionem legis, quæ in nobis fit.

Ideo

con
e di
m,
hri
sed
ade
ide
io=
one
pto
dci
tus
in
ge=
lus
leo

Ideo nec postea reputamur iusti coram deo,
propter illam legis implecionem, sed ideo quia fide
habemus accessum per Christum.

Et illa legis impletio est ualde exigua & im-
munda, quia manent in nobis reliqui e peccati.

Et tamen hæc iusticia legis fidem necessario
sequitur.

Sed hoc est præstandum, ne ita queramus
iusticiam legis, ut fidem tollamus, neue confidamus
illa legis implecione. Certo statuendum est quod fide
propter Christum iusti reputemur qualis qualis sit
illa legis implecio, quæ sequi debet.

Sophistæ tantum loquuntur de legis implecio-
ne, de fide non dicunt. Fingunt nos iustos reputari
propter illam implecionem legis, non per fidem.

Et sumus iusti per illam iusticiam, sed iusti-
cia legis quam deus non acceptat, nisi propter fidem,
qua mediatorem Christum apprehendimus.

Hinc facile omnes sententiæ de operibus ex-
plicari possunt. Nunquam potest fieri lex aut siquid
fit, non est acceptum, nisi prius fide apprehenderi-
mus mediatorem Christum, Sic docet Christus, sine
me nihil potestis facere.

Ergo

Ergo quandocunq; laudantur opera, necesse est intelligi, quod fides assit, quia sine Christo nihil placet deo.

Insania est imaginari, quod lex uere fiat sine Christo. Tantum igitur opera, propter fidem sunt accepta.

Iacobus recte dicit. Iustificamur fide & operibus quia opera iustificat iusticia legis, quæ certe fidem sequi debet, sed tamen hæc iusticia legis, non est iusticia coram deo, nisi propter fidem.

Et hæc sequentia opera, quia propter fidem placent, etiam meritoria sunt, non iusticiæ aut uitæ æternæ. Sed aliorum bonorum corporalium, & spiritualium.

Lex enim habet mercedem, quare in nobis implecio legis meretur certa premia,

Cum dicimus sola fides iustificat, intelligi hoc debet, non tantum quod inicio accipiat remissionem peccatorum seu conuertat. Sed etiam quod deinceps sola fides reputetur a deo pro iusticia, tametsi implecio legis necessario sequitur. Verum hæc implecio legis non est accepta coram deo, nisi propter fidem.

Ita habent conscientie certam consolationem in Christo per fidem, & sciunt quomodo operandū sit, & quæ opera placeant, & q; fide per Christum accipiant

accipiant Spiritum Sanctum, ut bene operari queant.

In summa Conclufit scriptura omnia sub peccatum, ut promiffio ex fide Iesu Christi daretur creditibus.

Aristoteles recte & prudenter dicit medium in uirtute, constituendum esse proporcione geometrica, non Arithmetica.

ALIA DE TRADITIONIBVS.

Tradio humana instituta aut obseruata hac opinione quod mereatur remissionem peccatorum aut iustificationem, est impia.

Opera ipsa tradicionum fieri licet. Sed ita ne iusticiam fidei euertant.

Ita sancti potuerunt uti traditionibus, non ut per eas mererentur iustificationem. Sed uelut scholis, in quibus certa tempora, certae lectiones ad discendum constituuntur, non ut sint peculiare cultus utiles ad placandum Deum.

Certissimum est remissionem peccatorum sola fide contingere.

Rechabite laudantur in scripturis propter obseruationem certarum tradicionum, quia abstineba

bant a uino, nec habebant certas possessiones.

Quamquam autem magis obediencia debita parentibus laudetur, sicut in exemplis interdum genus non species laudatur, quam ipsa res, tamen cum tam magnifica promissio addita sit, rem quoque placuisse Deo necesse est.

Necesse est igitur quod has traditiones seruaerint sine iniuria fidei, quia quidquid tollit gloriam Christi impium est.

Nam qualiacumque exempla citantur, non debent manifesto Euangelio praeferi.

Et exempla secundum certam regulam intelligi debent, non regula propter exempla corrumpi.

Rechabite inter gentes habitauerunt, inter quas ut ederent testimonium suae fidei uoluerunt discerni per tales notas, non uoluerunt per eas iustificari. Et credibile est quod scribunt iudei hos non fuisse Israelitas, sed ex uicinis gentibus, inter quas opus fuit certo discrimine.

Quare cum sine impia opinione seruaerint suum morem Rechabite, laudati sunt.

Sic in lege cultus sine impia opinione seruati, ut politica disciplina seu pedagogia placebat Deo.

Sed seruati tanquam mererentur iustificationem coram deo, displicebant Deo.

Male igitur praetexunt Monachi Rechabitarum

rum

ram exemplum suis traditionibus, cum ipsi docue-
runt per suas traditiones mereri iustificationem.

Quamquam ridiculum est conferre Rechabi-
tas cum Monachis. Rechabites serio carebant domi-
bus, agris, uincis, Monachorum paupertas tota simul
lata & ficta est.

Male etiam prætexitur exemplum Rechabita-
rum, traditionibus quas exigunt Pontifices tanquã
necessarios cultus. Nam traditiones non sunt ne-
cessarij cultus, & ob hanc causam uiolari possunt.

Iosaphat et Rex Niniue indixerunt ieiunium
non ut per ieiunium iustificarentur homines. Quid
enim opus erat pecudibus imperare ieiunium, si ita
quereretur iustificatio.

Sed externa confessio & protestacio erat fi-
dei. Rex Niniue ostendit hoc nouo exemplo se cre-
dere Ionæ, & alios ad credendum Ionæ inuitabat.

Ita Iosaphat uolebat hortari ad poenitentiam
& orationem,

Talia erant & Encæria instituta a Machabeis
non quod obseruatio diei ex opere operato esset cul-
tus. Sed ut esset monumentum, uelut Trophæum,
admonens ad gratias agendas.

Et erant politica mandata, quibus debuit obedi-
re populus, propter regiam autoritatem sicut alijs
legum edictis.

Diss

Dissimiles sunt traditiones quæ nunc exiguntur uelut necessarij cultus, & prætextu Ecclesiasticæ potestatis.

Oportet enim in Ecclesia retineri doctrinam de iusticia fidei, quod fide accipiamus remissionem peccatorum & fide iustificemur nec possimus placare iram Dei per tales cultus. Oportet & retineri doctrinam de libertate Christiana, quod non sint necessarij tales cultus ad iusticiam fidei. Et quod Euangelium prohibeat peccatum & iusticiam ponere in talibus obseruacionibus.

Terræ forma non est absolute spherica, tametsi Plinius dicat, Est autem terra figura prima de qua consensus iudicat, orbemq; certe dicimus terræ, quem uerticibus includi fatemur.

ALIA DE ECCLESIA.

Augustini uerba Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas, non hoc uolunt quod Ecclesiæ autoritas maior sit quam Euangelij aut quod Ecclesia possit Euangelium abolere,

Sicut iudex non credit narrationi nisi propter testes, Nec tamen sequitur quod testes possint mutare

mutare narrationem, Item nuncio credimus, Nec sequitur quod nuncius possit mandata mutare.

Ecclesie credimus tanquam nuncio, aut certe sicut doctori credimus.

Stultissimum est somniare, quod Ecclesia fuerit ante uerbum Dei, certum est enim quod homines ab initio mundi uocati sint, et renati per uerbum dei, Sic Adam uocatus est, audita promissione.

Quare ridicula Cauillatio est, maiorem auctoritatem Ecclesie quam Euangelij esse, quia Ecclesia fuerit ante scripturam, quasi uero Euangelium tum demum fuerit, postquam literis mandatum est.

Ecclesia proprie est congregatio sanctorum, et habet externas notas predicationem Euangelij, et administrationem Sacramentorum.

Et tamen illi congregationi sunt admixti hypocrite, et mali.

Et licet nobis uti Sacramentis, si porrigantur a malis, qui sunt in ministerio Ecclesie, nisi sint aperte blasphemii, sicut turce, aut Iudei sunt.

Et tamen promissiones, quod Ecclesia sit columna ueritatis, et similes pertinent ad proprie dictam Ecclesiam, id est, ad sanctos.

Interim in Ecclesia multi labi possunt, et abijcere fidem. Et accidit ut existant admixti Ecclesie impij qui perniciose errent. Nam hoc quoque

F pre

predixit scriptura, multos fore pseudochristos, et pseudo prophetas. Et diserte predictum est a Paulo futurum esse ut Antichristus sedeat hoc est dominetur in Ecclesia

Non igitur Ecclesia proprie dicta probat quid quid probant mali doctores admixti Ecclesiae.

Si Ecclesia impiorum haberet promissionem, quod non posset errare, sequeretur, pugnare scripturas quae dicunt quod Ecclesia sit columna ueritatis quod sint futuri pseudoprophetae in Ecclesia.

Ecclesia proprie dicta iudicans de scripturis, iudicat ex alijs scripturis non ex propria opinione, sine testimonio Dei.

Igitur quod Ecclesia repudiavit quaedam Euangelia, repudiavit uel tanquam testis quia sciebat esse ἀδελφοποιῶτα aut repudiavit, tanquam iudex secuta scripturas certas.

Furor est, etiam in Canonibus damnatus, preferre humanam auctoritatem diuinæ.

Furor est etiam, existimare quod de uoluntate Dei, sine uerbo Dei, sed tantum ex hominum consensu aut opinione, corda debeant statuere et credere

Ad Ecclesiae unitatem satis est consentire de Euangelio, & administratione Sacramentorum. Non est necessaria similitudo traditionum humanarum

Hæ enim nihil pertinent ad uitam Spiritualem, & sine eis existere fides et uita æterna in corde potest.

Sic iudicauerunt & Apostoli de Pascale, concordantes

cedentes, ut eum his obseruaretur qui ex Iudaismo
conuersi εταν. *Τα προσεχόμενα, nihil conferre, etiā si illi nō
obseruarent iusto tempore, Verba extant apud Epi =
phanium, qui citat quoddam Apostolorum decretum
ὑμῶς μὴ ψηφίζετε, ἀλλὰ ποιεῖτε, ὅτι οἱ ἀδελ =
φοὶ ὑμῶν, οἱ ἐκ περιτομῆς, μετ' αὐτῶν ἅμα ποι =
εῖτε ἡμῶν τε πλανηθῶσι, μηδὲν ὑμῶν μελέτω.*

Canon qui dicit frustra seruari Euangelium, nisi
seruentur Canones consiliorum, non uult obseruatio
nem Euangelij, uerā fidē & caritatē inutile esse sine
traditionibus humanis. Sed olim uocabant Canones,
non traditiones de cibis, & similibus nugis sed de =
creta de dogmatib. contra hereticos facta, quales fue
runt Niceni Concilij Canones De his recte dicit Ca
non, frustra seruari Euangeliū, nisi seruentur Cano =
nes quia illi Canones sunt ipsum Euangeliū. Concilia
enim non cōdunt nouos articulos fidei, Sed ipsos arti
culos positos in scripturis ab hereticis labefactatos,
restituunt Ecclesie.

Vera Ecclesia etiam habet suam imbecillitatē, &
suos lapsus. Sed tamen retinet fundamentum de quo
ait Paulus fundamentū aliud poni non potest preter
id quod positū est. Etiam si alij aliud superaedificant
Nam alij aurum & argentum superaedificant, hoc
est uere laudata opera in scripturis, alij stipulas, hoc
est opiniones inutiles de cibis & similibus rebus. &
opera inutilia.

F ij

DE

DE REBUS POLI- TICIS.

Maxime prodest homini Christiano tenere dis-
crimen Euangelij et doctrinae politicae.

Quod uidelicet Euangelium doceat iustitiam
eternam cordis & uitam eternam. Interim uero neq;
oconomiam neq; politiam aboleat.

Nec satis est hoc nosse, sed etiam scire oportet
quod oconomia & politia, magistratus, leges,
iudicia, poenae, capitalia supplicia, militia, bella
distinctio dominiorum, contractus & similes or-
dinaciones politicae, sint uere ordinaciones diuinae.

Prodest hac sententia hominum animos con-
firmare, quia qui sic sentiunt magis reuerentur
magistratus & leges.

Hæc reuerentia parit tranquillitatem reb.
publicis.

Et hæ ordinaciones non tantum permissiue a
Deo proficiscuntur, sicut mala dicitur deus permit-
tere.

Quanquam sunt ordinaciones rationis
humanae, tamen ratio humana non posset retinere pa-
cem in rebus publicis in tanto furore diaboli, & im-
piorum hominum, nisi singulari opere dei conser-
uarentur res publica & quorundam mentes guber-
narentur

narentur ad illas res ac leges inueniendas, quæ
mununt pacem.

Idco salomon inquit, ut oculus uideat ut auris
audiat, deus facit id est ut sapiant principes & pa-
reant populi, deus facit.

Et recte ait Augustinus. Iura humana per
imperatores & rectores seculi Deus distribuit
humano generi.

Itaq; politicae uere sunt opera dei, sicut uices
temporum, cursus solis, Terræ fecunditas. Neq;
solum condidit deus has ordinationes, sed perpetuo
conseruat. Postremo etiam approbavit uerbo suo.
Ego dixi dii estis id est mea auctoritate regnatis,
& meum officium administratis.

Ergo politicae ordinationes sunt bonæ crea-
turæ Dei.

Preclare & sapienter ait xenophon quod
sicut bestiae non possunt regi nisi a natura superiore,
uidelicet humana, ita homines non possint regi, nisi
a quadam diuina natura.

Ius naturæ uere est ius diuinum, scriptum di-
uinitus in mente hominis. Sicut lumen oculis diui-
nitus inditum est. Et recte ait imperator Natu-
ralia iura diuina prouidentia constituta esse.

Leges ita approbantur. Si non pugnent cum
iure naturæ.

Impia & seditiosa opinio est, quod Christiano non liceat tenere proprium, aut quod desertio facultatum sit cultus, aut perfectio Christiana.

Error est sentire quod Christus Matth. V. de uindicta, consilium, non præceptum dederit.

Quod dicitur. Mihi uindictam, ego retribuam, significat uindictam opus esse ad gloriam dei pertinens.

Itaq; cum Magistratus exercet uindictam, administrat alienum officium.

Magistratus precepto Dei coguntur uindictam exercere Rom. XIII. Vindex dei est.

Alijs omnibus prohibetur uindicta precepto dei Itaq; Christi uerba sic accipi necesse est, ne detorqueantur ad tollendos magistratus Non enim uolebat ibi abrogare politias ordinationes sed singulos docebat de puritate cordis erga deum.

Sicut gigantes finguntur intulisse bellum caelo, ita cum tota natura bellum gerunt monachi, qui sentiunt perfectionem esse in desertione facultatum & præferunt suum uitæ genus functionibus ciuilibus quæ habent mandatum & uerbum Dei. Item Anabaptistæ qui sentiunt non licere magistratus gerere, militare, iudicia exercere, iurare.

Sicut licet Christiano uti hac luce, hoc acre

Et alijs bonis creaturis dei, ita licet uti politicis
ordinationibus quia perinde sunt creaturae dei atq;
lux, aer &c.

Licet igitur Christiano magistratus gerere
exercere iudicia. Iurare, litigare in foro, ac-
cusare, & defendere, militare, & alibi alijs politijs
ac legibus uti potest sicut alibi alijs dierum spacijs
utitur. Non enim sumus ad certam formam po-
litiae alligati sicut Iudei quia Euangelium non
instituit politiam externam sicut lex, sed tradit
iusticiam aeternam cordis.

Errant qui iudicant edicta magistratum tantum
habere poenam temporalem.

Paulus enim iubet obedire non tantum prop-
ter poenam, sed propter conscientiam. Quare
& deus minatur poenas aeternas his qui uiolant edicta
magistratum.

Vere & sapienter dictum est a Druso, rem
publicam sacram esse, quare ab omnibus ei poenae
persoluantur, qui eam uiolant.

Causa rotunditatis in Iride non est proprie
figura solis relucens ut in speculo, sed figura nub-
is.

ALIA.

F iij

NOB

Non licet omittere decalogi opera, tametsi non iustificant.

Non licet omittere edicta magistratum, tametsi non iustificant.

Recte Augustinus dixit, de Ecclesiasticis traditionibus, Totum hoc genus rerum liberam habet observationes.

Gerson sensit has ideo violari posse, quia Episcopi non habeant ius condendi traditiones.

Sed hæc ratio non satis munit conscientiam in violandis traditionibus.

Nam etiam Tyrannis obedire oportet.

Alia igitur firma ratio querenda est.

Qui errore, aut ex contemptu potestatis violant traditiones, cum uiderint se scandalis occasionem dedisse, non leuiter periclitabuntur.

Recte scripsit Plutarchus, solis motum summo loco tardissimum esse, tametsi regularis sit, uerba sunt Plutarchi de principe. μιμου μείου τὸν ἥλιον τοῦ ἀρχοντος, ὅς οταρ ὑψωμα λάβη μέγισον, εξαρθὸς ἐν τοῖς βαρφοῖς ἐλάχισα κινεῖται τῷ σχολαιοτέρῳ τὸν δρομον εἰς ἀσφαλὲς καθισαμενος.

ALIA.

Pœnitentiam definiunt esse, præterita mala
plan

plangere, & plangenda iterum non committere.

Ea definitio non satis explicat uim pœnitentia, quare prudenter accipienda est, ut pleræq; alie ueterum scriptorum sententiæ.

Rectius definiens, pœnitentiam esse contritionem & fidem, quæ cum credit remitti peccata propter Christum consolatur cor per terre factum.

Contritio sine fide desperationem affert.

Quare ualde incommode docent, qui cum pœnitentiæ partes colligunt, contritionis mencionem faciunt, fidei nullam faciunt.

Fides sine contritione existere non potest.

Fidem uocamus proprie quæ credit non modo historia, sed etiam promissioni gratiæ, seu quæ credit remitti peccata.

Ea fides est iusticia, qua coram deo iustificamur.

Cum satisfactiones non mereantur remissionem peccatorum, canones pœnitentiales quos uocant non sunt necessarij.

Canones pœnitentiales in Ecclesia recepti sunt, non quod ea opera gratiam merebantur. Sed propter alias causas.

Prudenter igitur iudicari debet, de ueterum sentencijs, quæ Canones illos imponunt Ecclesiæ.

Quidam ueteris Ecclesiæ πολιτῶματα ad

F v

miran

mirantur, restituere illos Canones conentur, Sed
quia periculum est, ne qui putent illa opera necessa-
ria esse ad promerendam remissionem peccatorum,
non est utile restituere illos.

In Ecclesia semper est praestandum. ut Euan-
gelium pure doceatur, Ritus seu traditiones uariant
temporibus sicut numi. Et prodest praesentibus esse
contentum, ueteres renouare partim stulticia, par-
tim impietas est.

Canones ipsi docent traditiones antiquatas
non esse exigendas.

Recte ait Plinius, defectus Lunae magnitudi-
nem solis declarare, Illud non recte dictum est a
Plinio, lunam esse maiorem terra, quia totum solem
adimat terrae.

ALIA.

Nouaciani non recte senserunt, relapsis pe-
ccati iterum non remitti.

Error inde natus est, quod non animaduerte-
runt, quid scriptura uocat peccatum.

Somniauerunt enim peccata uocari tantum ex-
terna malefacta,

At peccatum significat non tantum opera mala,

sed

8
sed etiam naturam uiciosam, uacantem metu Dei,
fide, concupiscentiam.

Prudenter igitur accipienda est uulgaris sen-
tentia, peccatum nisi uoluntarium esset, non esset pec-
catum.

Vt semper habemus peccata, ita semper opus
habemus remissione peccatorum.

Oportet igitur perpetuo contingere remissi-
onem peccatorum, etiam cum externa malefacta
habeamus.

Errant fanatici homines, qui Christianam
iusticiam, tantum externos mores ciuiles esse iudi-
cant. Publica pœnitentia spectaculum fuit, non
fuit pœnitentia.

Nec necesse est reuocari id spectaculum in
Ecclesiam.

Pœnitentia proprie est contritio ac fides,
in contritione erigens & consolans.

Imprudenter locuti sunt canones de pœni-
tentia, qui nullam ibi mentionem fidei fecerunt.

Sed ne nouum dogma de fide adferre uideamur
extat Tertuliani sententia, quam adscribere non
grauabor, quia dum ius iurandum dei exaggerat,
mirificè erigit conscientias. Bonum est pœnitere,
an non? quid reuoluis? Deus præcipit. At ille non
præcipit tantum sed etiam hortatur, inuitat præmio
salutem

Salutem iurans etiam, Vivo, dicens cupit credi sibi. O beatos quorum causa Deus iurat. O miserimos, si nec iuranti Domino credimus.

ALIA.

Qui uos audit, me audit, uox est plena consolationis, testatur enim perinde nos Euangelium anuntiandum per homines accipere debere, ac si de caelo sonaret.

Non recte senserunt Donatistae, qui negabant licere uti sacramentis aut uerbo cum a flagitiosis tractantur.

Cum Paulus ait, Episcopum debere esse ἀνεγκλιτορ non est sic accipiendus, quasi sentiat Episcopum sine peccato esse posse, ut homines fanatici interpretantur.

Nec remissionem peccatorum nec peccata recte intelligunt qui tantum externa delicta iudicant esse peccata.

Lex est spiritualis, non politica, quare peccata cordis iudicat, non tantum externam conuersationem.

ALIA.

Baptis

Baptismus est signum promissæ gratiæ,
Nec significatio ad unum tempus referri de-
bet, sed ad omnem uitam.

Vere iustificat baptismus, cum eo signo exci-
tati credimus nobis propter Christum remitti peccata.

Cum Paulus dicit iudeos transeuntes per
mare rubrum baptisatos esse, intelligendum est quod
uere baptisati sint.

Errant Cingliani cum putant transitum il-
lum tantum alterius signi, quod postea instituen-
dum esset typum fuisse, non fuisse illis signum iusti-
ficationis.

Eadem fides, eadem iusticia est omnium
sanctorum, sicut idem uerbum, & idem Spiritus
sanctus, tametsi signa mutantur.

Vere fuit baptismus uehi in arca per diluui-
um.

Vere fuit baptismus, transitus per mare,
tametsi Paulus dicat illos, in Mosen baptisatos esse.

Paruulorum baptismus non est irritus.

Imo furor est affirmare quod paruuli sine sa-
cramentis salui fiant.

ALIA.

Cere

Certum est ueteris Ecclesie sententiam esse
quod uere adsit corpus Christi in cœna Dominica.

Et hæc sententia scripturæ testimonium habet,

Cinglius præter rem uociferatur errare eos
qui dicunt sacramenta confirmare fidem.

Nos enim iudicamus eos usum sacramento-
rum non intelligere, qui negant ideo eis utendum
esse, ut confirmetur fides.

ALIA.

Magna consolatio proposita est Christianis in
iure sacerdotij, quare diligenter cognoscendum est.

Sacerdos est proprie qui habet ius placandi
Deum, & tractandi uerbum Dei ac sacramenta.

Nulli competit unquam in mundo ius sacerdo-
tij, nisi autoritate diuina.

Id ius iam donatum est omnibus credentibus
per Christum. Omnes igitur credentes sunt sa-
cerdotes, hoc est, non modo potestatem, sed manda-
tum etiam habent placandi Dei.

Nec tamen licet ulli publicum ministerium in
Ecclesia sine uocatione occupare.

Sacerdocium non est certus ordo hominum
delectorum ad aliquod opus pro alijs faciendum, ad
placandum Deum.

Nam

Nam hoc repugnat iusticiæ fidei.

Nec missa est opus faciendum a certo ordine
institutum ad placandum Deum pro alijs

Non est igitur sacrificium.

Nullum sacerdotium sine sacrificio est, Ergo
& singuli Christiani habent sua sacrificia, nempe fi-
dem & fructus fidei, afflictiones, confessionem &
alia bona opera.

Magna consolatio etiam sita est in sacrificij
cognitione.

Quia cum sacrificium sit opus Deo placens,
placere afflictiones necesse est, cum sacrificia uocentur.

ALIA.

Cum Ecclesia in symbolo sancta appellatur, ne-
cesse est Ecclesiam definire, sanctorum congregatio-
nem.

Sed ut a nobis etiam agnosci possit Ecclesia,
necesse est eam certas notas externas habere.

Est itaq; Ecclesia congregatio sanctorum, in qua
Euangelium docetur, & sacramenta administrantur.

Et tamen in illa congregatione, sæpe fit, ut
mali etiam sint, quorum alij iudicari a nobis possunt,
alij non possunt,

Fit etiam ut ministri aliqui mali sint.

Et

Et tamen licet per horum ministerium sacramentis uti .

Ecclesia non est πολιτεία, constituta ordinationibus humanis, sacrificiorum, sacerdotij & rituum .

Ideo in symbolo additur Catholica, ut significetur eandem Ecclesiam per totum orbem sparsam esse, de doctrina consentientem, tametsi ritus sint dissimiles .

Nec ideo ab Ecclesia exclusi sunt . si qui ritibus utuntur alijs, quam Romanis .

Amplissimam consolationem continet articulus, qui præcipit credere, unam esse sanctam Ecclesiam . Testatur enim Ecclesiam esse mansuram, nec fore ut a Deo abijciamur .

Qui hunc articulum sic considerant, rectius eum intelligunt quam qui inde colligunt . quod oporteat similes ubiq; ritus humanos esse ,

ALIA .

Aristoteles recte sentit usuras esse contranaturam .

Porro non dubia regula est, de politica iusticia, ius naturale uere esse ius diuinum .

Et tamen Moyses concessit Ebreis, ut usuras exigant ab alienigenis .

Permissa

Permiserunt olim leges imperatorum exigere usuras.

Nec peccasse iudicamus imperatorem, cum permisit usuras exigi.

Sicut adprobat Euangelium magistratum, ita approbat contractus, quos iudicat magistratus esse honestos, & utiles reipub.

Et pertinet iudicium de contractibus ad magistratus, non ad Euangelij ministros.

Quare uiderint ministri Euangelij, ne temere pronuncient qui contractus sint uiciosi, ne iudicentur in alieno negotio πολυπραγματοι.

Peccatum est usuras exigere, sed quas magistratus iudicat usuras esse.

Peccatum est non soluere pactas usuras etiam cum peccant isti qui exigunt.

ALIA.

Cum maxima sit dissimilitudo contractuum, longe errant isti, qui omnes reditus iuxta damnant.

Pactum de redimendo non uiciat emptionem, ut testatur L. Si fundum. C. de pacto inter empt. & uendit,

Quoties autem uera emptio constituitur, legitimus est contractus, etiam si accesserit pactum de redimendo.

G

Duo

Duo genera sunt in usu, aut emitur fundus
aut emitur seruitus in bonis uenditoris, cum pacto
reuendendi.

In utroq; casu uera emptio constitui potest,
Vtroq; igitur genere Christianus uti potest, ut alijs
politicis ordinationibus.

Iudicium de contractibus non pertinet ad illos
qui docent Euangelium, sed ad magistratus.

Et conuenit magistratum non esse $\mu\iota\sigma\alpha\nu\theta\epsilon\omega$
 $\pi\alpha\rho$ sed leges ad equitatem flectere, & multa tem-
poribus concedere.

Et theologo satis est docere q; Christiano licet
uti politicis ordinationibus.

Nec querat $\alpha\kappa\rho\iota\sigma\theta\delta\iota\kappa\alpha\iota\omega\rho$ in talibus, nec alli-
get conscientias ad certam formam & prorsus ex-
actam.

Vtilis est regula, in mortalibus negocijs sufficere
mortalem certitudinem, hoc est non esse rationem
exactissimam querendam sed medium $\epsilon\nu\ \omega\lambda\acute{\alpha}\tau\eta$ ac-
cipiendum est.

DE CONTRACTV RE DEMPITIONIS.

BONA opera debent habere testimonium
uerbi Dei, ut tota nostra uita regatur uerbo Dei, &
fide

fide, iuxta illud, quidquid non est ex fide peccatum est.

Quare & de contractibus querendum est uerbum Dei, ut certo sciamus utrum Deus probet eos.

Tantum hæc regula satis munit conscientiam, de contractibus, uidelicet, quod Deus approbet distinctionem dominiorum in præcepto, Non furtum facies, Vbi necesse est contractus simul probari. Et alio loco scriptura approbat politias. Roma .xiiij. In summa, Euangelium non abolet legem Sed maxime approbat, & requirit in uita corporali ac politica.

Itaq; contractus tales liciti sunt, quos Magistratus & leges approbant.

Periculose docent, qui hac regula omissa, querunt ex natura operis, non ex lege totam causam, quare contractus sit bonum opus.

Magis est lex consyderanda, quam natura operis, quia lex habet autoritatem propter testimonium Dei, ratio etiam si non fallit, tamen non habet testimonium Dei.

Quidam sine fine disputant, qui contractus sint probandi. Neq; finis ullus est talium disputacionum, si consyderetur non lex, Sed natura operis.

G ij Sic

Sic in alijs multis negocijs pleraq; lege iusta sunt etiamsi ratio de natura praesentis operis aliter iudicet, ut q; suspenduntur fures, si operis natura spectaretur, infinitae questiones existerent. Nunc iudici satis est legem sequi, quia Deus approbat civiles ordinationes.

Hoc unum pertinet ad Theologum, quod iam admonuimus, ostendere quod Euangelium approbet contractus consencientes legib. quia approbat civiles ordinationes. Sicut de Medicina admonet, quod liceat uti remedijs, sicut cibo ac potu.

Quales debeant esse contractus, non magis ad Theologum pertinet, quam qualia pharmaca debeant in singulis morbis dari.

Itaq; non est concedendum docentibus Euangelium ut contra usitatos contractus ad populum uociferentur, Sed admonendi sunt, ut huius rei iudicium ad Magistratus & forum reijciant.

Præclare dixit Cameracensis. Cauendum esse ne facile pronuncietur usurarius esse contractus, quia uarij contractus in uita necessarij sunt, cum sint iuris gentium.

Sed huius dicti ratio tenenda est, ne conscientia relinquatur ambigua, uidelicet ideo ualere contractus quia Deus approbat iudicium Magistratus ac leges de civilib. negocijs,

Magistr

Magistratus autem non tantum unam formam contractus in specie, aut medium indivisibile constituit. Sed sumit medium ἐν πλάτῃ iuxta probabiles rationes quod ad pacem & societatem hominum quadrat. Verum est enim illud, summum ius summa iniuria.

Emptio non uiciatur per pactum de redimendo. L. si fundum Cod: de pac: inter emp. & uendit

Cum autem emptio legitimus contractus sit sequitur & hunc contractum legitimum esse, in quo inest pactum redemptionis. Si tamen sit uera emptio.

Et is qui emit, dominium consequitur, et si alienare non potest, quia pactum de non alienando non repugnat naturæ domini, ut docet Bartolus L. ita quis de uerborum obligationib.

Hic contractus dissimilis est mutuo, quia in mutuo licet danti mutuo repetere sortem, hic emptori non licet pecuniam repetere.

Tres species ponemus huius contractus, aut emitur certus fundus, aut certi fructus in fundo certo, pro proportione.

Facile iudicari potest in his duabus speciebus prorsus nihil esse uicij, cum recte concurrant omnia quæ requiruntur in emptione, merx certa, certum precium, consensus,

G ij

Tertia

Tertia species est cum emitur reditus in
uniuersis bonis alicuius ciuitatis, ubi ciuitas obli-
gata est actione personali, & ius quod uocatur hic
merx non uidetur in certo corpore esse.

Panormit. tamen & hanc tertiam speciem ap-
probat cum inquit, Sicut ergo quis potest emere li-
bere totam possessionem, in ἐμφύτευσις, uel eme-
re annum reditum iam constitutum ab antiquo, ita
licitum est de nouo constituere & emere. De usuris
cap. in ciuitate.

Et cum ius oporteat in aliquo corpore esse,
est & hic ius in corpore.

Vt si quis emat in alterius bonis seruitutem
agen di itineris per agrum.

Ita in rebus natis fructificare, potest consti-
tui seruitus ut pars fructuum redeat ad aliquem.

Et huius seruitutis corpus constitui possunt
omnia bona alicuius persone, aut communitatis.

Quidam defendunt & in persona constitui
posse reditum.

Quod & si subtiliter disputatur, tamen pla-
cet hoc quod Iurisconsulti docent, in reb. constituen-
dum esse reditum, ut uidelicet sit aliqua certa merx, &
ius sit in aliquo corpore.

Itaq; cum & hic sit merx uidelicet ius ex ali-
enis bonis percipiendi fructus, precium, & consens-
sus

ius, probanda est et hec tertia species.

Præclare inquit Baldus, hunc contractum licitum esse, si habeat æquitatis recompensationem & proportionem. Cap. I de Iureiurando.

Sicut igitur in alijs contractib. conseruanda est æquitas, ita in hoc contractu uidendum est ut pericula pariter compensentur, uidelicet ne ænsus exigatur, si perijt corpus.

Et tamen in his casib. quoq; ut in omnib. contractib. fieri debet, medium debet ἐν τῷ λῶτῳ sumi.

In summa, cum hi contractus lege iusti sint, & Christiani tuto legib. & politicis rebus uti possint, recte possunt & his contractib. uti Christiani, qui longe debent magistratus Iudicium ac legem preferre alijs rationibus

DE DISCRIMINE VETERIS ET noui Testamenti, deq; legis abrogatione.

Magnopere prodest tenere discrimen ueteris et noui testamenti, quia infiniti errores sparsi sunt in scholis ac populo, propterea quia id discrimen non est intellectum.

Vetus testamentum lex est, hoc est decalogus & aliæ ordinationes politicæ, et cceremoniæ additæ decalogo.

Nouum

Nouum testamentum, non est lex, sed est remissio peccatorum & promissio gratiae & donatio spiritus sancti, & uitae aeternae propter Christum.

Etsi politia Mosaiica desijt, nihil. n. ad gentes pertinebat, tamen praecipua pars legis, quae uocatur moralis, & decalogo continetur non desijt, quia innatura scripta est.

Durat igitur eadem lex tantisper donec humana natura durat.

Non igitur uetus testamentum ideo uetus intelligi putemus, quia post aduentum Christi lex desierit, sed potius, quia lex prius publice promulgata est, quam Euangelium in totum mundum sparsum, & quia est doctrina cohercens & mortificans ueterem hominem.

Et Euangelium tunc quoq; , cum lex doceretur, traditum erat, etsi nondum publice mundo promulgatum erat.

Quare non eo dicitur nouum testamentum quod fuerit ignotum, aut inutile tempore legis.

Imo Euangelium reuelatum est longe ante Moisi legem.

Sed dicitur nouum testamentum, & quia Christus exhibitus est nouissimis temporibus, & quia tunc demum in totum mundum publice sparsum est, cum antea pauci scirent, & quia in singulis hominibus.

nib. succedit Euangelium legi, lex . n . per Euange-
lium vincitur & impletur.

Ita utrumq; testamentum , uetus & nouum
hoc est, lex & euangelium semper in mundo extite-
runt , & existent.

Nam lex ad iustificationem coram deo sine
Euangelio simpliciter inutilis est.

Et patres iustificati & saluati sunt , non per
legem , sed per Euangelium, quia fide acceperunt
reconciliationem & spiritum sanctum propter
Christum.

Perniciosissime errant isti , qui somniant le-
gem Moisi habuisse certa opera atq; obseruationes,
quib. tunc homines coram deo iustificati sint. Et
nunc Euangelium successisse tanquam legem melio-
rem quod ceremonias leuiore tradiderit , & de-
calogū requirat ut his operib. iustificentur homines.

Multo magis errant pontifices, qui putant hu-
manas traditiones esse necessarias ad iusticiam noui
testamēti sicut putant in lege Moisi ceremonias fuis-
se cultus necessarios ad iustificationem.

Ille κακοζηλία legis Mosaicæ hunc errorem
apud imperitos peperit.

Cum lex Moisi preter moralia habuerit & cer-
tas ceremonias & certas politicas leges, de duab.
partib. abrogatio facile intelligi potest.

G v

Nam

Nam Euangelium tradit iusticiam spiritus
seu eternam, iuxta illud, ueri adoratores adorabunt
patrem in spiritu et ueritate. Non igitur necessariae
sunt ceremoniae & iudiciales leges Moysi.

Atq; haec tantum ad Politiam Israel pertine-
bant. tantisper duraturae donec illa res pub. duraret.

Plane autem praedicat scriptura desituram
politiam Israel, & successuram Euangelij praedica-
tionem spargendam in totum orbem terrarum.

Sicut errant qui κακοζηλια Mosaicae ceremo-
niae necessariam esse putant, ita errabat Carlostadius,
& fingeat ex lege Moysi res politicas iudicandas esse.

Quomodo finis liberi a decalogo, difficil-
lius est intellectu.

Nam is scriptus est in mentibus hominum ut
decalogum abolere idem sit quod mentem & crea-
turam dei tollere.

Itaq; non est abrogatus decalogus ita ne fiat,
sed alia res ad iustificandum proposita est, scilicet
promissio reconciliationis propter Christum.

Non igitur decalogus sed exactio iustifica-
tionis per decalogum & ius condemnandi homines,
nemo .n. implet praeter Christum, sublatum est.

Et in istis solis sublatum est illud ius legis,
qui fide apprehendunt promissam iustificationem pro-
pter Christum.

In his

In his igitur abrogata est lex qui fide uice-
runt legem accusantem perterrefacientem & con-
demnantem eos,

Hoc sentit Paulus cum ait, Non estis sub le-
ge, id est, Et si non satisfacitis legi, tamē sentite uos
iustos reputari propter Christum, non propter ue-
stram impletionem legis, dilectionem aut opera.

Et tamen quia fides affert spiritum sanctum, &
nouam uitam, adfert & sapientiam ac iusticiam no-
uam uidelicet dilectionem dei, & alios motus legi
dei consentientes. Fides .n. per Christum accedit ad
deum.

Non igitur ita liberati sumus a decalogo ne fiat,
fieri .n. cum necesse est. Ideoq; spiritus sanctus datur
ut Christus glorificetur. & sublato peccato lex ue-
re fiat in nobis.

Et hinc apparet, quare cum ceremoniæ &
iudicialia prorsus omittantur, decalogum fieri neces-
se sit quia decalogus continet motus cordis quales
necessario secum fert spiritus sanctus. Ideo manet
illa pars legis in hac spiritali & æterna iusticia.
Reliquæ uero partes de externis ritibus .cum non con-
tineant res æternas, sed alligatas locis et temporibus.
non manent.

Quod Paulus ait credentes 'non esse' sub le-
ge, nullo modo debet detorqueri ad civilem uitam,
sed ad iudicium conscientie erga deum.

Diligentissime admonendi sunt homines de illis Paulinis sententijs, ut sciant quo referri debeant

Cum n. pauci sint spirituales, alij carnales transferunt illam libertatem ad ciuilia, & somniant se in hac corporali & ciuili uita legibus solui.

Euangelium pertinet ad conscientiam consolendam coram deo, et ad uitam æternam, lex autem pertinet ad mundum et totam exteriorem uitam.

Imo mundus lege consistit, et dissipari omnia necesse fuerit, legib. sublatis.

Et grauius dictum est a Pindaro, legem imperare dijs etiam. Nam ordinatio hæc uoluntas dei est, quæ non potest esse sui dissimilis, ac uiciosa.

Maxime prodest assuefacere rudes ad legum reuerentiam. Nihil .n. perniciosius est priuatim & publice, quam legum dissipatio.

Sicut autem non iustificamur Ceremonijs Moisaicis coram deo, sed propter Christum. Ita nec pontificum traditionib. iustificamur coram deo.

Nec sunt factæ traditiones illæ a patrib. ad iustificationem, sed partim propter bonum ordinem in ecclesia, partim propter disciplinam.

Sic grauius scripsit Epiphanius traditiones seruari in ecclesia διὰ τὴν ἐγκρατείαν καὶ διὰ τὴν πολιτείαν.

Taxat

Taxat. n. Enkratitas qui sicut monachi no-
stri prohibebant usum carniū & uini, ut per ope-
ra illa colerent deum, & mererentur iustificatio-
nem.

Hanc opinionem reprehendit uelut impiam
& addit alios fines traditionum, Scilicet, discipli-
nam seu castigationem carnis, aut politian, hoc
est bonum ordinem in ecclesia.

IMPRESSVM VITEBERGAE
per Iosephum Clug.

M. D. XXXI.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by a large, irregular water stain on the right side of the page.






209

441 ²¹
—
4,8

X 220 1083

Sb.





PROPO

SITIONES A MARTINO
LVTHERO SVBINDE
DISPV TATAE.

ADDITAE SVNT QVAE
DAM, QVAE IN PRI
ORE EDITIONE
DESIDERAN
TVR.

VITEBERGAE IN AEDIBVS
IOSEPHI CLVG.

ANNO M. D. XXXI.

